



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

Sectio Secvnda. De unione, dismembratione, divisione, alteratione, suppressione, extinctione beneficiorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

SECTIO SECUNDA

De unione, dismembratione, divisione, alteratione, suppressione, extinctione beneficiorum.

CAPUT PRIMUM.

DE VNIONE.

PARAGRAPHVS I.

De natura, multiplicitate, & effectibus unionis beneficialis.

Questio 877. Quinam sint textus in iure, & quinam AA. de unione beneficiorum ex professo speciatim tractarint?

Respondeo ad primum: Nullum quidem extare in iure Canonico titulum de unione Ecclesiarum, seu beneficiorum. Azor, p. 2. l. 6. c. 28. ad initium. Plura tamen de ea statuisse Clementem V. in Clem. ult. de reb. Eccl. non alien. occasione cuius, ad hunc textum, uti & ad eundem titulum in Decretalibus hanc materiam unionum beneficialium tractant AA. de qua quoque aliqua extant in c. sicut unire, de excess. Pralator. in c. exposuisti, de prob. in c. 1. ne sede vac. in c. cum venissent. de Instit. Ventrigl. to 2. annot. 8. §. 1. n. 1. Agit quoque Trident. de unione beneficiorum sess. 7. c. 6. sess. 12. c. 9. sess. 23. c. 18. sess. 24. c. 23. sess. 25. c. 9. Extat etiam Regula 12. vel alius 13. Cancell. de revocatione unionum.

2. Respondeo ad secundum: Ex Auctoribus tractant hanc materiam particulari tractatu, aut saltem integris Capitibus & Paragraphis Caccia-lup. tr. de unionibus. Per. de Ubaldis seu de Perusio simili tract. Rebuff. in pr. rit. de union. benef. & ad reg. 12. Cancell. Lancelot. in institut. Can. l. 2. rit. de union. Fusc. de visitat. l. 2. c. 26. Gamb. de offic. leg. l. 5. Rubric. 1. de potest. leg. in unum. Riccius. in pr. fori Eccles. p. 1. resol. 385. & seq. Gonz. ad reg. 8. gl. 5. §. 7. Azor Instit. mor. p. 2. l. 6. c. 28. & seq. Barbol. juris Eccl. l. 3. c. 16. Sanch. in praecep. Decalog. to. 2. l. 7. c. 29. Tamb. de iure Abb. to. 3. d. 15. q. 1. Garc. de benef. p. 12. c. 2. Castrop. de benef. tr. 13. d. 6. p. 12. Lott. de reb. benef. l. 1. q. 28. & 29. Joan. Chok. ad reg. 12. Cancell. Erasmo. Chok. de iurisdic. Ordinar. in Exemp. p. 4. q. 131. Ventrigl. to. 2. annot. 8. & apud hunc plures alii.

Questio 878. Quid sit, seu qualiter definia-tur unio beneficialis, & quomodo inter se differant unio, annexio, applicatio, incor-poratio, subiectio, suppressio, extinctio, dis-membratio?

Respondeo ad primum: Unio hac est Ecclesia-rum seu beneficiorum legitima Superioris au-

toritate facta conjunctio Garc. loc. cit. nu. 3. Castrop. loc. cit. §. 1. n. 1. r. Azor loc. cit. q. 1. Rebuff. loc. cit. num. 1.

2. Respondeo ad secundum: Unio nomen generale est, in potiore suo significato dicens, seu continens in se suppressionem & extinctionem tanquam accidentia, & praebula ad perficiendam unionem, utpote per quam, ut paulo post dicemus, supprimitur & extinguitur titulus & denominatio beneficii uniti. Corrad. in pr. benef. l. 2. c. 8. n. 7. & 8. citans Mandos. ad reg. 12. Cancell. q. 1. n. 3. Hojed. de incompat. benef. p. 2. c. 3. n. 3. & remissive ad hos AA. Gonz. ad reg. 8. gl. 5. §. 7. nu. 155. ubi etiam, quod ab Hojeda & Mand. singulis hisce nominibus sua assignentur significata. De cetero suppressio & extinctio valde differunt ab unione, annexione, & incorporatione. Corrad. ibid. n. 8. ut patet, dum beneficiales tituli saepe supprimitur & extinguntur non ad effectum unionis, sed v. g. ut eorum fructus deputentur in posterum fabrica, aut erectioni novae Ecclesiae Collegiatae Corrad. loc. cit. n. 16. & 12. Multoque magis patet, dismembrationem differre ab unione, ceterisque omnibus, cum non tam sonet, ex duobus fieri unum, quam ex uno fieri duo, absque eo, quod aliquid beneficii extingatur, aut ex rerum natura tollatur. Sed neque omnis annexio, applicatio, aut etiam incorporatio unionem proprie talem infert; cum ratione aliorum titularum, quam unionis, ob quos, v. g. Monasterium, vel Capitulum in Ecclesiam Parochialem aliquam jus aliquod exerceret, haec ei suo modo annexa dicatur; quin & citra veram unionem fiat incorporatio, qua videlicet Monasterio, Collegio, dignitati incorporati sunt redditus beneficii Parochialis, beneficio ipso, & sola congrua redituum portione remanente penes presbyterum cura animarum exercentem. Quamvis, dum tam quoad spiritualia, quam temporalia fieret Monasterio vel dignitati alicui talis incorporatio beneficii Parochialis, diceretur fieri proprie unio. Laym. ad c. 2. de suppl. negl. pral. nu. 7. Ac denique subiectio valde differt ab unione, uti & ab annexione & applicatione, dum non omnis unio, vel etiam applicatio importat subjectionem beneficii uniti; quia uniri potest beneficio alteri aequè principaliter, in quo casu quodlibet retinebit sua jura & praerogativas. Verum patebunt haec clarius ex sequentibus.

Questio

Quaestio 879. Quotuplex sit Unio?

Respondeo primò: Unio alia est perpetua, hoc est, durans in perpetuum, ita ut ad quemcunque possessorem transeat beneficium, cui facta unio, transeat & illud, quod unitum est, veluti unum cum illo: alia temporalis, quæ facta est pro limitato tempore, nempe ad vitam illius, ad cuius favorem facta seu concessa est. Castrop. *cit.* §. 1. n. 2. Garc. p. 12. c. 2. n. 9. Estque hæc unio quoad vitam inventa ad effectum, ut quis assequi, & retinere possit beneficia incompatibilia, seu quæ aliàs simul habere nequiret. Corrad. *loc. cit.* l. 2. c. 13. n. 28. Paris. *de resign.* l. 12. q. 3. n. 49. citans Gemiu. *conf.* 38. n. 11. Cassad. *decis.* 33. n. 5. Adeoque talis unio ad vitam vim habet solum dispensationis super incompatible, ut nempe mediante illâ retinere simul valeat incompatibilia. Corrad. *loc. cit.* Gonz. *gl.* 5. §. 7. n. 175. Et sic Rotam semper interpretatâ esse uniones ad vitam, & Commendas pro palliatis dispensationibus, ajunt Corrad. & Paris. *II. cit.* ex Cassad. *loc. cit.* Item, ut Gonz. *loc. cit.* ex Pet. Gregor. Tholof. *in institut. rei benef.* c. 20. n. 3. est quadam species reservationis, quia per manûs Papæ appositionem in faciendo unionem ad vitam remanet beneficium reservatum. Et hinc, ut patebit ex mox dicendis, minus propriè censetur unio; & ut ait Corrad. *loc. cit.* n. 39. à longo tempore rarò videmus per Papam concedi, refragante Trid. *sess.* 27. c. 4.

2. Secundò: Unio alia est conjunctiva, & simul conservativa titularum beneficialium, nempe amborum, qui simul uniuertur. Alia est subjectiva & extinctiva tituli, qui uniuertur, seu quæ facit, ut beneficium unitum non sit, nec nominetur amplius beneficium. Lott. l. 1. q. 28. n. 96. & hæc postrema solum propriè, ac verè censetur unio beneficialis. Lott. *loc. cit.* n. 97.

3. Tertio: Alia est æquè principalis, & jure coequali. Alia accessoria, cujus utriusque naturam melius intelliges ex sequent.

Quaestio 880. Quotuplici modo fiat Unio?

Respondeo: Loquendo de unione perpetua, Romissis iis, quæ de quintuplici modo faciendi eam tradunt Hofl. & cum secuti Abb. Cacialup. Pet. de Perus. & fuscè Pavin. apud Garc. *cit.* c. 2. n. 5. fit ea potissimum modis tribus. Primò accessorie, seu per viam subjectionis, & accessionis, dum una Ecclesia, seu beneficium alteri pro augmento dotis, & patrimonii illius annexitur & incorporatur, ut mediante eâ annexione, seu incorporatione evadat membrum, subiectum, inferius, accessorium, adhærens illius, ac dependens ab eo, cui uniuertur; hoc verò remaneat superius ac principalis, de quo est textus *in c. quia monasterium. de religiof. domib.* & ibi AA. absque eo tamen, quòd ista duo beneficia in unum veluti corpus coalescant & confundantur. Azor *loc. cit.* q. 2. Gonz. *loc. cit.* n. 27. Card. de Luca *loc. paulò post citand.* Et tunc, ut Azor *cit.* c. 28. q. 2. in inferiore Vicarius, qui munus & officium obeat, constitui solet; quod tamen posterius intelligendum, ubi habens utrumque illud beneficium utriusque simul per seipsum satisfacere non potest, aut non vult.

2. Secundò fit unio æquè principaliter, & jure coequali, dum duo beneficia, absque eo, quòd in unum veluti corpus coalescant, ita coeuntur, ut

neutrum alteri subjiatur; sed unumquodque sua jura, privilegia, præeminencias ac titulos retineat, etsi hæc omnia sint penes eundem utriusque Rectorem, Azor. *loc. cit.* quòd spectare videtur, dum duæ Ecclesiæ Cathedralis perpetuè ita inter se uniuertur, ut neutra suum statum amittat. Idem est de duabus Parochiis Garc. *loc. cit.* n. 10. Idem videtur velle Gonz. *loc. cit.* n. 29. dum ait: tertio modo fit unio duarum Diocesium vel Ecclesiarum, quoad caput vel gubernationem, ut utraque remaneat cum suis propriis bonis ac juribus distinctis ac separatis, & non communicatis, ut priùs, sed habeat unum duntaxat Episcopum, & Rectorem, & quilibet retineat sua jura & statuta, ut ait ex Mandos. *ad reg.* 12. *Cancell.* q. 1. n. 4. contingere in Episcopatu Viterbiensi & Tusculano, quæ duæ Dioceses unum habeant Episcopum, qui tamen, cum rescribit super concernentibus jurisdictionem & administrationem Episcopatus Viterbiensis, se nominat Episcopum Viterbiensem & Tusulanum; si autem rescribit in concurrentibus Episcopatum Tusulanum, se nominat Episcopum Tusulanum & Viterbiensem, semper anteponendo nomen illius Diocesis, in qua consistit res, de qua agitur. Verum id ipsum distinguendum, nimirum ut unus sit Rector duarum Ecclesiarum, dupliciter fieri possit: nempe vel accidentaliter, in hac persona tantum ex quadam particulari commendatione, ipsarum Ecclesiarum statu in nihilo immutato (quam etiam unionem potius de facto, quam de jure, uti & personalem tantum, & accidentalem vocat Card. de Luca. *ad Trid.* d. 8. n. 33.) vel ex perpetua unione dictarum Ecclesiarum. Card. de Luca *in Miscellan.* d. 1. n. 38. qui etiam *ibidem* ait, hanc posteriorem unionis speciem, in Cathedralibus præsertim magis in usu esse, quæ tunc verè, & de facto inter se habeantur pro duabus invicem distinctis, quamvis unum habeant gubernatorem, qui quoad se dicitur unus & idem, sed quoad eas habeatur pro duplici homine diverso, seu discreto. Quamvis idem Card. de Luca *ad Trid.* d. 7. n. 6. dicat, quòd, quamvis Ecclesiæ Cathedralis sit unica & individua, atamen in ea representari, seu efformari possit à pluribus quodam sociativo jure idem ac unicum corpus constituentibus: in quo casu, in qua earum ab Episcopo consecrandum sit oleum sacrum *ibidem* tradit. Porò dum duæ Parochiales sic (etiam in perpetuum) uniuertur, ut qualibet in suo statu pristino perseveret impermixtis bonis ac juribus, ita ut bona unius non transeat in dominium alterius, etsi bonorum utriusque idem sit Administrator, nempe Rector utriusque (uti fit, ut dictum, dum principaliter uniuertur. Gonz. *loc. cit.* n. 116.) & constituendus in una Vicarius, & fructus illius Ecclesiæ, ubi constituitur, non sufficiant pro congrua illius, Rectorem non teneri supplere ex redditibus, quos percipit ex alia Ecclesiâ; cum quilibet Ecclesiâ suos redditus, fructus & emolumenta conferret; sed esse suppleendum per Parochianos, tradit Gonz. *loc. cit.* n. 113. citans Gutt. *qq. pract.* q. 77. n. 14. l. 1. Sic etiam ait idem Gonz. n. 117. quòd quando sic duæ Ecclesiæ sunt unitæ, beneficiati unius Ecclesiæ non teneantur supplere defectum servitii in altera Ecclesiâ, Pro quo citat Rotam *decis.* 278. n. 2. p. 2. *Diversarum.*

3. Tertio fit unio jure confusionis (ut ait Card. de Luca, *loc. cit.*) nempe etiam æquè quidem principaliter, ita tamen, ut ex quibus beneficiis fit

unum beneficium, & unum ministerium. De quo modo fit mentio in *c. decimas. 16. q. 1. Azor loc. cit. Gonz. loc. cit. n. 28.* (qui etiam hoc exemplificat in duabus Parochiis vicinis, & distinctis ob bellum unitis, ut ex duabus jam fit facta una, & in dignitatibus ex duabus factis una) *Garc. cit. c. 12. n. 6. Castrop.* (qui tamen duo posteriores hunc modum parum frequentem esse dicunt) adeoque communiceant privilegia, bona, consuetudines ad invicem, sive privilegia & jura data uni spectant hoc ipso ad alterum, seu competunt & alteri, *Gonz. cit. n. 28. & fufius n. 55. Garc. n. 10.* & sic fiat retentio privilegiorum utriusque in uno, *Gonz. cit. n. 55.* Et si forte hæc consuetudines vel privilegia sint contraria, meliora & favorabilia conserventur. *Garc. cit. n. 10.* Atque in hoc casu hujus unionis duarum Collegiarum Canonici, qui sunt in una Ecclesia, etiam esse Canonicos in alia illa Ecclesia, tradunt *Garc. cit. c. 12. n. 11.* citans *Per. de Perus. tr. de union. c. 1. n. 6. & c. 2. n. 3. Caccialup. &c. Azor cit. q. 2.* qui etiam addit, utriusque Ecclesie (intellige, dum Cathedralis sunt) Canonicos jus habere, Episcopum eligendi, & negotia communiter expediendi. Verum de hac specie unionis dicit *Castrop. loc. cit.* esse, non tam beneficiorum unionem, quam illorum extinctionem, & novam beneficii erectionem.

Questio 881. Unio, num sit accessoria, an principalis, unde in dubio presumat, & ex quo dignoscatur?

1. **R**espondeo ad primum: In dubio, & ubi non constat clarè de contrario, semper presumendum, unionem factam esse æquè principaliter, & non accessoriè, seu subjektivè; cum hæc reputetur odiosa. De quo *q. seq. Card. de Luc. de regular. d. 25. n. 4. Carol. Anton. de Luc. in observat. ad annot. 8. §. 1. To. 2. Ventriglia. n. 1. citans Gratian. discip. for. discip. 893. Gonz. gl. 5. §. 7. n. 134. citans Abb. in c. exstirpanda. §. qui verò, de preb. n. 4. Rebuff. in pr. tit. de union. n. 20.*

2. Respondeo ad secundum: Ad dignoscendum verò, num facta censetur accessoriè, vel æquè principaliter, imprimis inspicendus est tenor unionis. *Castrop. de benef. d. 6. p. 12. §. 1. n. 11. Garc. cit. c. 12. n. 5. Gonz. loc. cit. n. 128.* citans *Rebuff. ubi ante. n. 19. Hojed. de incompat. benef. p. 2. c. 3. n. 5. Felin. in c. in nostra. de rescrip. n. 30.* Et sic Ecclesiam judicari unitam accessoriè per verba: *Ecclesiam vel beneficium illi beneficio unimus, annectimus, incorporamus;* ait *Carol. Anton. de Luca. loc. cit. n. 3. Castrop. Garc. loc. cit.* Econtra verò judicari duo æquè principaliter unita, si dicatur: *illud & illud beneficium unimus;* ait *Castrop. & Garc. ll. cit.* Si autem ex lectura, seu literis unionis dignosci id nequeat, attendendum, quodaam ex beneficiis invicem unitis, sit magis, quod minus dignum; cum minus dignum presumatur semper esse unitum accessoriè, & non æquè principaliter magis digno, ita ut magis dignum trahat ad se minus dignum. *Castrop. loc. cit. Gonz. loc. cit. n. 129.* citans *c. quod in dubio. de consecrat. Eccles. §. si tu.* Quod si autem non appareat, quod sit magis dignum, recurrendum est ad denominationem, sive attendendum, num ex uno beneficio tantum proveniat denominatio, & illud judicabitur principale unitum, alterum unitum accessoriè; cum semper à digniore & potiore fiat denominatio.

Castrop. loc. cit. Gonz. loc. cit. n. 134. citans *Felin. in c. translato. n. 6. in fine. Put. decis. 442. n. 4. l. 1.* Ac denique attendenda observantia; hæc enim tanquam optima legum interpres, removebit hæc in parte dubium. *Castrop. loc. cit. Gonz. loc. cit. n. 135.* citans *Card. Paris. conf. 35. n. 20. l. 1. Mandos. ad reg. 29. q. 2. n. 3. & 4.* Cessantibus autem his omnibus, præsumendum, ut dictum, unionem factam æquè principaliter; cum semper sumi debeat præsumptio, ut titulus beneficii conservetur, non extinguatur. *Castrop. loc. cit. Gonz. n. 134.* Illud etiam observandum ex *Card. de Luca de regular. d. 25. n. 4.* quod non omnis actus, qui superioritatem aliquam, vel respectivè subjectionem importat, denoret hunc effectum unionis subjektivæ; cum ad protectionem, vel jus patronatus, ad tributum vel censuram id referri possit, citra omnem etiam unionem.

3. Advertendum etiam est, quod tradit *Garc. loc. cit. n. 57.* & ex eo *Castrop. loc. cit. n. 12.* contra *Nav. conf. 14. n. 4. de reb. Ecclesie.* nempe quod annexio præbendæ Canonialis facta dignitati, Personatus seu officio ejusdem Ecclesie, etsi videatur facta accessoriè, tamen non fiat per viam incorporationis & suppressionis, sed uti duo beneficia obtineantur; cum ad hunc effectum fiat ista unio, ut obtinens dignitatem, & præbendam illam, sit dignitas inter dignitates, & Canonicus præbendatus inter Canonicos, conservato numero Canonicorum & præbendarum; & tanquam Canonicus habeat vocem in Capitulo; quod signum manifestum ait *Castrop.* unionem illam reipsa non esse accessoriæ, sed principalem; idque à fortiore ex eo constare, quod, cum alia simili Præbenda sit incompatibilis. Unde & collatio Præbendæ Pœnitentiarii spectet ad collationem illorum, ad quos antea spectabat, etsi provisio officii Pœnitentiarii, cui illa annexa, ut *Trid. sess. 24. c. 8.* spectet ad Episcopum solum. *Garc. loc. cit. n. 58.* Verum & in hoc multum spectanda consuetudo, dum dantur Parochi, qui in vicina, vel etiam eadem Collegiata sunt Canonici, absque suppressio verè Canonicatu tali, & absque eo, quod vocem habeant in Capitulo.

Questio 882. An unio sit favorabilis, an verò odiosa?

1. **R**espondeo primò in genere: Uniones de jure communi esse odiosas, & restringendas, quia per illas diminuitur cultus Divinus; & quia unio duorum beneficiorum, & Ecclesiarum est contra jus commune, cum qualibet Ecclesia debeat suum proprium habere Rectorem. *c. nonnulli. de cleric. non resid. & regulariter una Ecclesia non est ancilla alterius* (quod tamen posterius magis concernit in specie unionem subjektivam) *Alphon. Soto, seu Glossator antiq. apud Chok. ad reg. Cancell. de union. revocat. n. 1. 2. 3. Card. de Luca de Parochiis. d. 37. n. 42. & d. 35. n. 12.* ubi simpliciter, quod unio in jure dicatur odiosa. Item *de benef. d. 19. n. 13.* ubi ait: *materia unionis est odiosa, & strictè intelligenda: Item unio odiosa reputatur, & in ea strictè ac rigorosè proceditur.*

2. Respondeo secundò: Unio æquè principalis, seu jure coequali est magis favorabilis, & minus præjudicialis, quam accessoria, seu subjektivæ. *Carol. Anton. de Luca loc. cit. n. 1. Card. de Luca ad Trid. d. 8. n. 30. & de Regular. d. 25. n. 4.*

Qua-

Quaestio 883. *Qui sint effectus unionis?*

1. **R**espondeo primò in genere: Pro diversitate unionum diversi ab ea effectus resultant. Castrop. *cit. p. 12. §. 1. n. 4.* Card. de Luc. *in miscell. d. 1. n. 38.* Proinde, ut monet idem Cardin. diligenter inspicienda est unionis natura.

2. Respondeo secundò in specie: Unio subiectiva, seu quâ unum beneficium jungitur alteri accessoriè, etiam dum cum eo, cui unitur non coalescit in unum quasi corpus, operatur imprimis seu primariò abolitionem & extinctionem, non solum nominis beneficii, quod accessoriè unitur (ut tenet Gregor. Tholos. apud Garc. *cit. c. 12. n. 16.*) sed & ipsius tituli, ita ut amplius nec nominari, nec esse possit beneficium. Lott. *l. 1. qu. 28. num. 98.* Castrop. *loc. cit. nu. 4.* Gonz. *gl. §. 7. nu. 1.* Garc. *cit. c. 12. n. 12.* citatis quamplurimis (qui etiam *p. 11. c. 5. n. 198.* idem esse ait, in portione accessoriè unita dignitati, ut per eam unionem extingatur nomen & titulus portionis) Card. de Luca *de benef. d. 44. n. 5.* & *de regular. d. 25. n. 5.* sed per & post dictam unionem amisso priore nomine & essentiâ redditum jam sit beneficii illius, cui facta est hæc unio, tanquam prædominantis prædium (cujus non secus, ut Cardin. de Luc. *loc. cit.* ac aliorum prædiorum & bonorum administratio spectet ad principale beneficium) ac membrum. Garc. Castrop. Card. de Luca. *loc. cit.* Gonz. *loc. cit. n. 5.* vel etiam scabellum, ut Lott. *loc. cit. n. 96.* Ita ut amittat jam etiam omnia sua vincula; cum unio hæc extinctiva tituli non secus ac mors tollens omnia, simul cum titulo solvat omnia vincula & obligationes, quas aliàs secum ferebat. Gonz. *loc. cit. n. 4.* Exutâque naturâ suâ, ac qualitativibus quin & deperditis propriis prærogativis, ut Garc. *n. 18.* citato Nav. *conf. 10. de majorit. & obedient. n. 2. & 3.* & seipso *p. 11. c. 5. n. 192.* contra Pacian. *de probat. l. 1. c. 27. à n. 14.*) convertatur in naturam ejus beneficii, cui unitur, assumptis ejus qualitativibus, privilegiis, consuetudinibus. Garc. *n. 17. & 18.* Gonz. *n. 3. juncto n. 8.* qui etiam *n. 15.* ait, hinc beneficium sic unitum habere se erga aliud, cui unitur, sicut filia erga matrem, fortiendo naturam, & privilegia matris, juxta quæ censuit S. Congregat. Concil. Trid. beneficia curata sic unita simplicibus transire in simplicium naturam. Atque ita, dum Ecclesia Parochialis accessoriè unitur præbendæ, non intitulatur jam quis in Parochiali annexa, sed tantum in Præbendâ, seu beneficio principali. Garc. *p. 11. c. 5. n. 193.* & non censetur habere curam. Garc. *ibid. n. 194.* citans Felin. *in c. in nostra. de rescrip. n. 10.* Nav. *conf. 14. n. 4. de reb. Eccles. Menoch. de arbit. l. 2. casu 201. n. 67.* Quint. *adven. l. 4. Eccles. n. 70.* Proinde nec ætas 25. annorum aliàs ad beneficium Parochiale requisita requiritur, sed sufficit ea, quæ requiritur ad beneficium principale. Garc. *p. 12. c. 2. n. 26.* Castrop. *loc. cit. n. 7.* Nec necessarius est in ejus provisione concursus præscriptus aliàs à Trid. in provisione parochialis beneficii. Castrop. *loc. cit.* Neque tenetur residere in Parochiali. Garc. *cit. c. 12. n. 23.* Hinc etiam Gonz. *n. 13.* quòd, licet Episcopus dispensare nequeat cum illegitimo ad parochiale beneficium, dispensans tamen cum eo ad beneficium simplex, cui Parochialis unita accessoriè, dispensatione aliâ opus non sit, sed dispensatio hæc extendat se quoque ad dictam Parochia-

lem. Gonz. *loc. cit. n. 27.* citans Rebuff. *tr. de nominat. q. 16. n. 27.* qui etiam *n. 26.* dicit, Parochiale unitam conferri (intellige, collato beneficio principali) non graduato, etsi statutum aliquod haberet, quòd Parochialis conferatur graduato. Advertendum tamen, quòd etsi Ecclesia sic unita amittat qualitates suas, & naturam, transcatque de curata in simplex beneficium, ejusque emolumenta transeant in dictam Ecclesiam, seu beneficium principale; in tantum tamen non alterari statum talis Ecclesie, in quantum in illa Ecclesia debet nihilominus more solito inserviri, nempe per Vicarium, si est curata. Garc. *p. 12. c. 2. n. 35.* citans Abb. *in e. exposuisti. de prob. n. 6.* & Rotam *decis. 133. n. 15. p. 2. divers. & in Verduensis. Decanat. de anno 1580.* Observat etiam Garc. *p. 11. c. 5. n. 199.* uti & Corrad. *in pr. benef. l. 2. c. 13. n. 27.* quòd per annexionem Præbendæ Canonialis factam dignitati ejusdem Ecclesie, etsi fieri videatur accessoriè, non solet extingui & supprimi nomen Præbendæ & Canonicius, sed uti duo beneficia obtineantur. Sic quoque unio ad vitam, etsi fiat accessoriè, non extinguit titulum beneficii sic uniti. Corrad. *loc. cit. n. 28.* Garc. *p. 12. c. 2. num. 38.*

3. Respondeo tertio: Ex hoc primario hujus unionis effectu jam resultare ceteros. Quales sunt? Primò, quòd possidens beneficium sic accessoriè unitum non possideat ut titulum beneficii, sed tanquam prædium tituli (Ecclesia hoc casu, ut addit Lott. repræsentante personam, quæ possideat). Gonz. *loc. cit. n. 9.* Lott. *l. 1. q. 28. n. 102.* citans Verul. *decis. 349. n. 2. p. 3.* Corrad. *loc. cit. l. 2. c. 12. n. 116.* citans insuper Barbol. *de pot. Episc. alleg. 45. n. 24. ampliat. 3.* qui Corrad. *ibid. n. 115.* etiam hinc deducit, illegitimum dispensari mad Canoniarum Collegiatæ (idem est de alio beneficio inferiore) adhuc posse eundem obtinere, etiam si isti Canonici sic accessoriè annexa esset, aut postmodum annexeretur Ecclesia Parochialis; eò quòd ad effectum dicta dispensationis attendatur solum qualitas, & natura beneficii principalis, & in quo quis intitulatur.

4. Secundò, quòd non detur amplius vacatio beneficii taliter uniti. Castrop. *loc. cit. n. 5.* Garc. *cit. c. 12. n. 15.* Gonz. *loc. cit. n. 7.* Lott. *loc. cit. n. 178.* & *p. 3. q. 8. n. 8.* ubi etiam, quòd subsistente hac unione, non solum extingatur vacatio præcedens, sed etiam tollatur omnis vacatio in futurum). Tond. *qq. benef. p. 2. c. 156. n. 9.* Ventrigl. *l. 2. m. not. 8. §. 2. n. 27.* quæ intelligenda de vacatione de per se. Item intelligenda de vacatione, quæ contingit, postquam unio sortita sum effectum; nam alias falsum est, quòd unio facta de beneficio non vacante impediat ejus vacationem pro prima vice. Quin & unio intret, & habeat effectum, requiritur vacatio. Garc. *p. 12. c. 2. n. 97.*

5. Tertio, quòd hinc sequitur, non posse conferri. Castrop. *cit. n. 5.* Cardin. de Luca *de probat. d. 12. n. 13.* Tond. *loc. cit. n. 9.* Corrad. *loc. cit. l. 1. c. 6. n. 362.* Gonz. *loc. cit. n. 20.* ubi, quòd natura unionis est, ut auferatur collatio, & conferendi potestas. Pro quo citat Gamb. *de offic. & potest. Legat. l. 6. c. 1. n. 46.* Lott. *loc. cit. n. 104.* ubi unioni nihil magis repugnat, quàm status collationis, per eam enim impeditur vacatio, & in consequens collatio; per collationem enim principalis habetur utrumque, & non est necelaria accessoriè uniti collatio. Garc. *cit. c. 12. n. 21.* Castrop. *loc. cit. n. 6.* quem

quemadmodum etiam capta possessione Ecclesie, seu beneficii principalis, cui facta est hæc unio, censetur etiam capta possessio beneficii illius uniti. *Garc. n. 22. Gonz. cit. gl. 5. §. 7. n. 6. Lott. cit. q. 28. n. 99. Castrop. cit. n. 6. maxime quando possessio apprehensa fuit in Ecclesia, seu capite, ut ait Gonz. apprehendens enim possessionem Ecclesie censetur simul apprehendere possessionem bonorum, & iurium Ecclesie. Lott. loc. cit. n. 100. qui etiam n. 101. addit, quod etiam defuncto Rectore Ecclesie non tamen vacet possessio bonorum & iurium illius; cum hæc semper sit penes Ecclesiam ipsam, Ecclesia in hoc casu representante personam suam, quæ possidet.*

6. Quarto, quod iterum hinc sequitur, quod in beneficio sic unito locum non habeat Regula de trienniali, cum Regula loquatur de possessore tituli beneficiatis, qui autem possidet ut unitum, non possidet ut titulum beneficii, sed ut prædium. *Garc. cit. c. 12. n. 28. Gonz. loc. cit. n. 9. citans Mandos. in reg. de triennial. q. 14. per tot. Gomef. ibid. q. 8. in fine. quod tamen intelligendum, quando opponitur de trienniali ex parte ejus, qui se fundat in unione; nam si opponatur ex parte possessoris titularis contra prætendentem beneficium esse unitum, secus est, is enim ultra quod tunc negare possit unionem, cum sit possessor titularis, ac verè, ac propriè possideat tale beneficium per triennium tanquam titolare, & non unitum, nulla est ratio, quare non possit iuvari regulæ de trienniali. *Gonz. n. 10. ex Gomef. & Mandos. Garc. cit. n. 28. Econtra regula de annali, utpote quæ non requirit titulum, locum etiam habet in beneficio accessorie unito. Et sic obtinens beneficium ut unitum, potest excipere de regula de annali, contra actorem, qui illud impetravit tanquam beneficium, & titulum. *Gonz. cit. n. 10. Garc. n. 30. citans Mandos. ad reg. de annali. q. 14. & Rotam in Segobriens. Archiepiscop. 28. Maij 1584.***

7. Quinto, quod impedit reservationem, quod enim non vacat, nec conferri potest, reservari nequit. *Castrop. cit. n. 5. Gonz. loc. cit. n. 33. ubi tradit, quod, quidquid sit de eo, num uniri possit reservatum, possit tamen ante reservationem facta esse unio, & suppressio, & sic reservationem subsequente non capere beneficium unitum & suppressum. Item, n. 38. ubi expressè, quod in casu accessorie factæ unionis nullatenus intret reservatio Regule 8. Cancellar. cum non deret beneficium, nec vacatio, nec collatio beneficii uniti, citat pro hoc Staphil. & Gomef. Item n. 40. ubi, quod reservatio facta per Regulam 8. Cancellar. non tantum non capiat beneficia unita, quando unio jam sortita fuit suum effectum per vacationem post unionem factam; sed etiam non comprehendat beneficium uniendum vigore gratiæ de uniendo; neque etiam jam unitum, quamvis unio nondum habuerit suum effectum, supervivente ultimum adhuc Possessore beneficii, quamvis addat n. 43. id, quod dicitur, reservationem hanc non capere beneficia unienda vigore mandati Apostolici, vel etiam unita, unione tamen nondum sortita effectum, difficulter posse admitti propter Regulam 12. Cancellar. revocatoriam talium unionum faciendorum, aut factarum non sortitarum effectum, de quo vide eundem n. 45. & dicenda à nobis infra, ubi de revocatione unionum. Idem tradit Carol. Anton. de Luca n. 7. ad Ventrigl. loc. cit. n. 2. ubi: unio operatur, ut cesset reservatio illa discontinua de*

P. Lewrens. Fori. Benef. Tom. III.

de mense, vel loco, unde uti reservatum non potest impetrari. Atque ita jam etiam gratia, seu reservatio-nes expectatarum non capiunt sic unita. *Gonz. n. 38. citans Rebuff. in pr. cit. de union. n. 31. Eneam de Falcon. de reservat. q. 30. principali. n. 4. &c. Verum tamen est, quod si unicum est beneficium alteri, in quo locum habet reservatio, veniat tunc quidem in reservatione, non tanquam beneficium de per se, quod non est, sed tanquam prædium, & patrimonium alterius beneficii sub reservatione comprehensi, juxta Regulam accessorium, de reg. juris. in 6. *Gonz. n. 39. Qualiter nequidem accessorie veniet sub reservatione, dum unio facta non est alteri beneficio, sed alicui loco pio, fabricæ, v. g. Hospitali, &c. *Gonz. cit. n. 39.***

8. Sexto impedit, quod minus beneficium illud unitum impetrari queat, & impetratio de beneficio unito est nulla. *Gonz. cit. gl. 5. §. 7. n. 22. citans Felin. in c. in nostra. de rescrip. n. 22. Selv. de benef. p. 3. q. 15. n. 76. Rebuff. in pr. cit. de union. Idemque erit, etiam si hæc unio accessoria esset tantum ad vitam. *Gonz. ibid. n. 23. ex Put. decis. 247. à n. 7. l. 1. Unde etiam, si beneficium sic unitum, foret beneficium alterius Diocesis, sicut à solo Episcopo, in cuius Diocesi est principale, conferri potest. *Gonz. ibid. n. 24. sic & ab eodem solo impetrari poterit.***

9. Septimo, quod hinc iterum oritur, quod nequeant unita permutari. *Gonz. n. 11. de quo dictum satis supra. Item nec resignari. *Gonz. n. 14. Paris. de resign. l. 1. q. 9. per tot.**

10. Octavo extinguit jus patronatus *Lott. cit. q. 28. n. 168. de quo paulò post plura, ubi de consensu patroni requirendo.*

11. Nond, quod impediatur incompatibilitatem, siue non inducat incompatibilitatem, dum operatur, ut beneficium, quod aliàs cum illo, cui unitur, non esset compatibile, simul cum eo subsistat, & ab eodem haberi possit. *Gonz. loc. cit. n. 21. citans Hojed. de incompat. benef. p. 2. c. 3. n. 10. Lapum alleg. 35. in fine. Gl. fin. in c. super eo. de præb. in 6. Rotam in Burgens. Servitii. 13. Jun. 1594. &c. *Garc. p. 11. c. 5. n. 195. Paris. de resign. l. 3. q. 1. n. 119. Et sic possidens Parochialem ut unitam accessorie suo Canonicali, seu alteri beneficio, ex hoc non impeditur obtinere alterum curatum in titulum; & talis non dicitur habere duo curata, sed unum curatum, & aliud simplex, eò quod curatum sic unitum simplici desinat esse curatum, & evadat simplex. *Garc. loc. cit. n. 196. juxta Declarat. S. Congregat. quam recitat n. 197. recitat quoque pro hoc p. 12. c. 2. n. 24. aliam expressam S. Congregat. Declar. super c. 17. sess. 22. Trid. quæ sic habet: Habens duas Parochiales, quarum altera est beneficio simplici, vel dignitati in perpetuum unita, alteram dimittere non tenetur, &c. Quod autem non possint duæ præbendæ simul teneri in eadem Ecclesia, etiam si una annexa sit dignitati vel officio, ut dicitur *Clem. fin. de præb. inde est, quod, ut dictum paulò supra ex *Garc. & Corrad. quod etsi videantur accessorie unitæ, non tamen extingatur earum titulus & nomea, sed teneantur cum dignitate ut duo beneficia; loquitur autem dicta *Clement. de Præbendis Canonicalibus, seu quasi Canonicalibus, qualis dicitur ea, dum eam habens reputatur pro Canonico, & habet vocem in Capitulo ut Canonicus, licet non sit Canonicus. *Garc. cit. c. 5. n. 200. & 201. Quando verò Præbenda non est Canonialis, & titulus benefi- cialis, quomodo tunc plures earum compatibles esse possint cum dignitate, vide de hoc eundem *ibid. à n. 202.********

N II

12. De-

12. Decimò, quòd, dum in impetratione alicujus beneficii necesse est facere mentionem de obtentis & prahabitis, non sit opus facere mentionem de taliter unito, sed sufficiat fieri mentionem de principali, cui illud unitum est. Castrop. *loc. cit.* n. 7. Gonz. *loc. cit.* n. 16. Paris. l. 10. q. 2. n. 36. Azor p. 2. l. 6. c. 28. q. 20. Garc. p. 12. c. 2. n. 20. citans Rebuff. in pr. tit. de union. n. 14. Coraf. de benef. p. 4. c. 4. n. 56. Menoch. de arb. l. 2. casu 205. nu. 67.

13. Undecimò, quòd in resignatione sufficiat facere publicationem in Ecclesia beneficii principalis, ubi fieri debet, neque opus sit facere eam etiam in Ecclesia beneficii uniti. Garc. *cit.* c. 2. num. 27.

14. Duodecimo, quòd lis introducta super beneficio unito non sit lis super beneficio. Garc. p. 12. c. 2. n. 31. recitans fuscè Decis. Rotæ in Legionens. Praesimoniarum. 16. Jan. 1595. Quòd etiam spectat, quòd habet Garc. *ibid.* n. 33. quòd litera unionis non dicantur litera de beneficio, sed de proprietate, & re profana, juxta Decis. Rotæ 2. n. 5. de reb. Eccles. in antig. Item, quòd tradit Gonz. *loc. cit.* n. 17. quòd causa unionis non dicatur causa beneficialis, juxta Resolut. Rotæ in Calagur. benef. 7. Nov. 1599.

Questio 884. Quisnam sit effectus unionis aequè principalis, & unionis ad vitam?

Respondeo: Effectum unionis aequè principaliter factæ non esse alium, quàm ut Rector unius sit etiam Rector alterius. Garc. p. 12. c. 2. n. 37. De cetero enim in omnibus ferè contrarium iis, quæ operatur unio accessoria, operatur hæc unio facta aequè principaliter.

2. Nam primò, licet, uti ipsa beneficia taliter unita communicentur, non quidem inter se, sed in persona Rectoris utriusque. Castrop. *cit.* p. 12. §. 1. n. 9. ita & jura ac privilegia eorum non aliter communicantur inter se, quàm in persona, ita ut qualitates, bona, jura, privilegia singulorum beneficiorum salva & impermixta permaneant, & nequaquam bona unius Ecclesiæ transeant in dominium alterius, aut jura, & privilegia hujus beneficii sint quoque jura & privilegia alterius, sed utrumque beneficium, utraque Ecclesia in suo statu antiquo, & honore conservetur, distinctos agnoscens redditus, ac propriis gaudens privilegiis. Gonz. *cit.* §. 7. n. 55. juncton. 116. Castrop. n. 9. Garc. *cit.* c. 2. n. 37. citans Rebuff. in pr. tit. de union. n. 15. Caccialup. *tr. de union.* q. 3. a. 2. n. 2. Mandos. ad reg. 12. q. 1. n. 4. Hojed. de incomp. p. 1. c. 15. n. 2. & 8. & plures alios, non secus ac si duo Castra vel Provincia uniantur non accessorie, sed ad invicem, hoc est, aequè principaliter, quælibet illarum sua conservat jura ac privilegia, ac propriis legibus suis antiquis gubernari debeat. Gonz. n. 119. ex Bartol. ad l. si convenierit. §. si nuda. n. 3. ff. de pignorat. actio. eò quòd de intentione Principis facientis talem unionem non sit, privare aliquam ex talibus Provinciis aut Castris suâ jurisdictione, juribus, Statutis. Gonz. n. 124. citans Felin. in c. translata. de Constitut. n. 6. Unde jam etiam, uti dictum paulò suprâ, si in harum Ecclesiarum una constituendus Vicarius, hic sustentari debet ex proventus istius Ecclesiæ, non alterius, quæ uti ex eadem causâ non tenetur supplere defectus servitii Ecclesiæ sibi unitæ, ita neque talis Vicarii sustentationem. Castrop. *cit.*

n. 9. Neque huic conservacioni antiqui status & gubernacionis in utraque Ecclesia obstat, quòd de facto ob residentiam Episcopi, vel Rectoris in una, in qua curam administrat, aut Pontificalia exercet, altera de facto his functionibus destituta remaneat, ac sic primævam suam figuram non faciat; cum id concernat solum exercitium, non autem substantiam. Cardin. de Luca de Paroch. d. 35. n. 5. Ratio horum omnium est, quòd vi talis unionis neutrum beneficium ex taliter unitis perdat nomen suum, aut titulum, aut effectum beneficii. Gonz. *cit.* n. 55. Corrad. in pr. benef. l. 2. c. 13. n. 27. quòdque talia duo beneficia non coalescant in unum corpus, seu fiant unum unitate permixtionis, sed solum unum unitate compositionis, seu unum compositum, absque eo tamen etiam adhuc, quòd unum alterius membrum sit. Porò hæc eadem procedunt, dum in unione facta ad vitam, et si accessorie; cum nec illa sit extensiva tituli, Garc. *cit.* c. 2. n. 38. multòque magis, dum Ecclesiæ solummodò conjunguntur ad effectum, ut redditus v. g. decimæ sint communes, aliumve simile, quia vel sic eorum natura nullatenus alteratur, licet fortè valor beneficiorum (intellige, dum eorum plura sunt in dictis Ecclesiis) augeatur vel minuat; neque hæc est propriè unio. *loc. cit.* n. 125.

3. Secundo: Beneficium sic principaliter unitum verè vacat conferri, resignari, permutari potest; sed non separatim ab eo, cui unitum est, alias enim dissolveretur unio. Castrop. *cit.* n. 9. Sed neque, si beneficia sic unita in diversis essent Diocesis (idem videtur, si eorum collatio spectaret ad diversos collatores) conferri possent ab uno solo Episcopo unius Diocesis invito altero, sed utriusque collatio requireretur. Gonz. *cit.* §. 7. n. 57. citans Caccialup. *tr. de union.* a. 8. q. 15. n. 10. Marian. Socin. in c. sicut unire. n. 131. de excess. Prælat. &c. Garc. *cit.* c. 2. n. 47. quemadmodum etiam in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis sic unitis, quamvis Canonici unius non sint Canonici alterius, electio tamen faciendus fieri debet ab omnibus communiter, seu ab utroque Collegio simul, in loco, de quo in unione conventus est, vel in digniore, vel ubi alias convenierint. Garc. n. 48. citans Caccialup. *tr. de union.* a. 2. n. 2. & a. 8. q. 3. Pet. de Perus. *cod.* *tr. c. 1. n. 6.* Pari modo, dum duo monasteria diversarum Diocesium uniantur aequè principaliter, uterque Diocesanus confirmare debet Abbatem illorum Monasteriorum. Garc. *ibid.* n. 54. juncton. n. 51. cum Pet. de Perus. *loc. cit.* l. 10. n. 4. contra Caccialup. *cit.* q. 8. q. 5. tenentem, quòd, etiam dum unio facta aequè principaliter, confirmatio spectet ad Episcopum, cui monasterium majus, si alias dignius subest. Verum tamen est, quòd ubi unio facta accessorie, solus ille Episcopus confirmare debet talem Abbatem, in cujus Diocesi est Monasterium, cui alterum unitum accessorie. Garc. n. 50. cum Joan. de Lignan. in c. 2. de resignat. domib. contra Pet. de Perus. *cit.* n. 4. censentem contrarium; eò quòd Episcopo referretur jurisdictionis Episcopalis in Monasterio suæ Diocesis, etiam unito. Nam, ut Garc. n. 52. quamvis jurisdictionis aliaque jura salva maneant Episcopo Ecclesiæ unitæ (intellige etiam accessorie) confirmatio tamen, seu institutio, seu collatio cessat in illa Ecclesia ex natura unionis accessoriae, ex quo Ecclesia sic unita non vacat, Quod hic dictum est de collatione, confirmatione, institutione, idem erit de presentatione, nempe quòd, cum unio

unio facta æquè principaliter, perseveret juspatronatus. De quo paulò infra, quòd utriusque beneficii patronus jam habeat præsentare.

4. Tertiò: Non impedit hæc unio reservationem. Corrad. in *pr. benef.* l. 2. c. 12. n. 26. Gonz. gl. 5. §. 7. n. 56. Sic quoque unio ad vitam non extinguit reservationem. Gonz. *ibid.* à n. 140. ubi, quòd quando v.g. beneficium est reservatum ratione mensis, si post vacationem in mense Apostolico unitor alteri beneficio ad vitam alicujus, unio talis non facit cessare reservationem; sed finitâ illâ temporali unione durat semper vinculum reservationis, & semper vacabit ut priùs, & provisio spectabit ad Papam, quamvis unio cessaret in mense Ordinarii per obitum illius, ad cuius vitam fuerat facta. Atque ita, ut Gonz. n. 142. unio ista temporalis, cum non sit provisio Papæ (per quam solam tollitur effectus reservationis) nec expiratio, reservatio facit duntaxat dormire reservationem ad tempus. Quin & unio ad vitam est quædam species reservationis, quia per appositionem manus Papalis in faciendo unionem ad vitam, remanet beneficium reservatum. Gonz. n. 145.

5. Quartò: Non impedit, seu tollit unio illa facta æquè principaliter incompatibilitatem. Castrop. *loc. cit.* n. 8. Garc. *cit.* c. 2. n. 41. quamvis enim ipsa beneficia aliàs incompatibilia invicem unita non sint incompatibilia inter se ratione dictæ unionis. Garc. *loc. cit.* nu. 42. juxta declarationem S. Congreg. *super c. 17. sess. 24.* quæ sic habet: *Si dua, vel plures Parochiales sint invicem unite, non sunt comprehensa sub hoc Decreto; sed possunt legitime retineri, tanquam non incompatibilia. Et* Sunt tamen incompatibilia cum tertio aliquo, v.g. si eorum alterum esset curatum, impediret assuetudinem alterius similiter curati, & per ejus assuetudinem, & quietam possessionem vacarent ambo illa principaliter unita inter se. Garc. *cit.* nu. 41. Pari modo unio ad vitam, etiam si facta accessorie, inducit incompatibilitatem juxta Trid. *sess. 7. c. 4. & sess. 24. c. 17.* Garc. *cit.* c. 2. n. 39. & p. 11. c. 5. n. 219. citans pro hoc Maudos. *de signat. grat. cit. de union.* Quintadv. l. 1. *Eccles. c. 4. n. 12. & c. 7. n. 6.* additque *ibid.* Garc. olim secus fuisse, sic habens dignitatem, cui ad vitam annexa portio, non potest aliam in eadem Ecclesia obtinere portionem. Gonz. *cit.* n. 219.

6. Quintò: In impetratione tertii alicujus beneficii oportet facere mentionem de ambobus præhabitis inter se æquè principaliter unitis. Castrop. *cit.* n. 8. Azor p. 2. l. 6. c. 28. q. 20. Paris. l. 10. q. 2. n. 36. Garc. p. 12. c. 2. n. 43. citans Rebuff. *Selv. Caccialup.*

7. Sextò: In resignatione, seu permutatione horum beneficiorum lic annexorum facienda erit publicatio in Ecclesia utriusque juxta Constitutionem de publicandis. Castrop. *cit.* n. 8. Garc. *cit.* c. 2. n. 46. Conveniunt hæc eadem, uti & cetera beneficiis unitis ad vitam. Castrop. *loc. cit.* n. 10. ubi generaliter pronunciat ea, quæ dicta sunt de beneficiis principaliter inter se unitis in perpetuum; procedere etiam de unitis inter se ad vitam; cum neque hæc unio extinguat titulum, sed illius retentionem cum alio concedat.

alio concedat.

P. Leuven, Fori Benef. Tom. III.

Questio 885. Si ambo beneficia æquè principaliter, vel etiam ad vitam unita juxta jam dicta retineant suas singula qualitates, ut dictum, quid servandum, si hæc qualitates sint invicem contrarie, seu incompatibiles, v.g. utrumque est residentiale in diversa Ecclesia?

Respondeo: Debet residere in digniore, vel alias ubi commodius & utiliùs esse videbitur, & dum in hoc est æqualitas, in eo, in quo maluerit. Garc. *cit.* c. 2. n. 45. citans Per. de Peru. *tr. de union.* c. 8. juxta Declarat. S. Congregat. à se adductas p. 3. c. 2. n. 179. quòd remittit. Sic etiam idem Garc. p. 12. c. 2. n. 40. ait, quòd obtinens Canonicatum, cui unita ad vitam Parochialis, debeat residere in Parochiali, & non in Canonicatu, ut habet Declaratio 13. adducta à se. *cit.* n. 179.

Questio 886. An, & qualiter unio operetur, seu afferat præjudicium Rectori, seu Possessori beneficii?

Respondeo: Unio de beneficio viventis nullum affert possessori præjudicium, seu fit sine illius præjudicio; quia ejus jura semper præservantur, cum unio non fortiaur effectum, nisi postquam beneficium vacaverit per celsum vel decessum Rectoris possidentis. Garc. p. 12. c. 2. n. 214. Paris. l. 2. q. 9. n. 7. (ubi etiam, quòd hoc verificetur solum semel in eo, qui de præsentate, dum fit unio, obtinebat beneficium) Tond. *qq. benef.* p. 3. c. 156. n. 6. citans Decis. Rora 614. n. 54. & 55. p. 4. *recent.* To. 3. Unde etiam Rector non obstante unione, resignare potest beneficium suum in favorem tertii coram Papa; quia tunc unio suspenditur durante vita Resignatarii propter clausulas in simili casu apponi solitas, per quas suspenduntur omnes uniones, etiam absque eo, quòd per dictam suspensionem unionis fiat præjudicium Ecclesiæ, ad cuius utilitatem facta unio, cum fieri possit, ut Resignatarius præmoriatur Resignanti. Tond. *loc. cit.* n. 7. Verùm de hoc plura inferiùs, ubi de vocandis, dum fit unio.

PARAGRAPHVS II.

Quænam beneficia, quibus, & à quibus uniri possint?

Questio 887. An, & qualiter beneficia non beneficiis uniri possint?

Respondeo primò: Unio fit de beneficio ad beneficium, & non de beneficio ad non beneficium Ecclesiasticum, ait Corrad. *pr. benef.* l. 2. c. 8. n. 79. & 80. ubi, quòd sic responderit Cancellaria Apostolica, dum in ea petebatur fieri unio certo alicui altari pro paramentis ejusdem Ecclesiæ, dum dubitabatur, num altare illud esset beneficium (sicut aliàs sæpe, præsertim in Germania, altaria sunt beneficia, seu erecta in titulum beneficiale) nempe inconueniens esse, ut beneficium uniretur non beneficio; ac ideo dictum, suppressi debere tale beneficium, & facta suppressione posse fructus illius applicari dicto altari in dictum finem. Nihilominus posse fieri uniones beneficiorum locis piis ac religiosis (puta Hospitalibus,

N u 2

Semi-

Seminariis, aliisque Collegiis, quae beneficia non sunt) in eorum dotem, augmentationem, conseruationem, pro propagatione fidei, vel iuuentutis ad scientias instructione, extra dubium est. Tond. loc. cit. p. 3, c. 151, n. 5. Gonz. ad reg. 8. gl. 5. §. 7. n. 46. & patebit hoc ipsum ex sequentibus.

Questio 888. An, & quando uniri possint beneficia Seminario Scholarium, praecipue necdum erecto?

1. Respondeo primò: Posse ea uniri tali Seminario, manifestum est ex permissione ad hoc facta à Trid. sess. 23, c. 18. Ventrigl. To. 2. annot. 8. §. 1. n. 32. Gonz. loc. cit. n. 67. cum communi.

2. Respondeo secundò: Seminario tamen futuro, seu nondum erecto uniri non posse beneficia, sed, ut unio hæc sit valida, requiri necessariò, quòd priùs Seminarium sit erectum (hoc est, ad sint actu Scholares & Magistri ad docendum constituti in domo aliqua coempta, vel etiam conducta) tradunt communiter omnes. Gonz. à n. 68. Castrop. de benef. d. 6. p. 12. §. 3. n. 15. citans Barbof. alleg. 77. n. 23. & 25. Riccium in pr. fori Eccles. resol. 380. n. 1. Lott. l. 1. q. 29. n. 47. Card. de Luca de Regular. d. 35. n. 11. Garc. p. 12. c. 2. n. 193. iuxta quamplurimas S. Congregat. Declarat. quas ibidem recitat Garc. Tridentinum siquidem dicendo: *Fiant unioes Seminario, supponit Seminarium, cui facienda unio, debere esse in rerum natura, qualiter non est in rerum natura Seminarium necdum erectum, seu constitutum per congregationem aliquam Scholarium & Magistrorum.* Gonz. loc. cit. n. 69. qui idem deinceps multis confirmat: ut quia qualitas sine subiecto esse non potest, & non entis nullæ sint qualitates, & quia Collegio nequit concedi privilegium, quando Scholares non adfunt, ut nu. 71. probat ex textu c. ad audientiam. 2. de Ecclesiis adificand. & quia donatio facta Collegio futuro non valet, ut habet n. 71. ex c. Abbate. §. nec pro eo, de re iudic. in 6. Et quomodo fiet realiter & actualiter unio alicui non existenti? Unde rectè ait Lott. loc. cit. non quæri hic, num aliquid possit donari, legari, disponi in favorem Collegii futuri; sed num possit disponi per viam unionis, quod penitus ait esse impossibile; cum unio fiat per accessum unius ad aliud, sive per conjunctionem, quod est impossibile, non datà essentiâ subiecti, cui accessio illa fiat. Hinc

3. Respondeo tertio: Hæc ipsa procedere, etiamsi cesset in tali unione omnis suspicio fraudis convertendorum fortè interea reddituum beneficiorum illorum unitorum, Seminario nondum erecto, non in eius prosecutionem, & ulteriorem effectuationem, sed in alios extraneos usus. Quia etiamsi, prout Trid. pro forma requirit, præcessisset detractio aliqua fructuum mensæ Episcopalis, & Capitularis, omniumq; Diocesis beneficiorum applicanda tali Seminario, & à dicta detractioe & contributione inchoatum fuisset. Castrop. loc. cit. n. 16. Garc. loc. cit. n. 196. Lott. loc. cit. n. 49. Ventrigl. loc. cit. n. 37. contra Gonz. loc. cit. n. 76. & Gratian. discept. for. c. 248. n. 71. & c. 358. n. 5. quibus adhæret Beltramius. in addit. ad Greg. Decis. 258. sub n. 10. apud Lott. n. 50. censentes, & acriter defendentes, seclusâ dictâ fraudis præsumptione, & præviâ dictâ contributione validam esse unionem beneficiorum factam Seminario futuro, sive etiamsi necdum domus coempta, nec fabrica

construxta, nec Scholares actu admissi, modò semper continetur in perficienda fabrica, & in urigendo cum effectu Seminario, & idipsius probantes ex eo, quòd Trident. sess. 23. c. 18. dicit: *Quia ad Collegii fabricam instituendam, & ad mercedem Praeceptoribus, & ministris solvendam, & ad alendam iuuentutem, & ad alios sumptus certi redditus sunt necessarii, Episcopi cum consilio duorum è Capitulo ex fructibus mensæ Episcopalis, & Capituli, & quarumcunque dignitatum, personatum, officiorum, prebendarum partem aliquam, vel portionem detrabant, & eam portionem sic detractam, nec non beneficia aliquot simplicia cuiuscunque qualitatù & dignitatù fuerint, vel etiam prestimonia, vel prestimoniales portiones huic Collegio applicabunt, & incorporabunt.* &c. adeòque ex ipsis Tridentini verbis conficiatur, quòd unio beneficiorum, non secus ac illa fructuum detractio, non debeat subsequi Seminario erectioem. Gonz. n. 78. quòdque recta ratio postulet, ut, qui vult suam, velit media, & ab his traheatur ad finem, adeòque, ut priùsqvam Scholares admittantur, & Magistri constituantur, dispositum sit, ubi recipiantur, & unde sustententur. Gonz. n. 79. quòdque non minus hæc unio validè fieri possit Seminario proximè futuro, quam, ut praxi quotidianâ receptum est, legata & hæreditas reliquæ possunt validè futuro Hospitali, vel constitutendæ Ecclesiæ, ac illis concedi privilegium, quod incipiat habere effectum, ubi Hospitalis erectum, Ecclesia constituta fuerit, Gonz. à n. 82. quia ob præparationem & futuram de proximo erectionem reputatur jam erectum Hospitalis, Seminarium, &c. utpote ratione illius destinationis inducens naturam rei definitæ, arguente l. 3. ff. de contrar. iudic. tutela. ubi, quòd pecunia deposita ad emptionem prædiorum censetur res immobilis. Gonz. n. 92. atque ita Seminarium de proximo erigendum habetur pro jam effectualiter erecto, iuxta illud: *De proximo acingendus habetur pro acincto: l. penult. de militari testam.* Gonz. n. 94. assimilaturque Seminarium captum partui concepto, qui in favorabilibus habetur pro jam nato. Gonz. n. 96. qui etiam à n. 97. diluit in contrarium à se adducta. Confirmatque hæc Gonz. & Gratian. sententiam Castrop. ex eo, quòd Seminario semel constructo, factaque ei ritè unione beneficiorum, deficientibus dein ad tempus ibi esse Scholaribus & Magistris, non statim definit dicta unio, ut tradit Garc. loc. cit. n. 199. citato Abb. in c. gratum, de postulat. n. 12. Cucho in institut. major. l. 4. tit. 1. n. 17. Mandos, de privilegiis ad instar. gl. 1. n. 44. &c. adeòque sicut in hoc casu datur subiectum, in quo unio permanet, nempe Seminarium brevi iterum erigendum; ita etiam possit idem primò brevi erigendum esse dictæ unionis subiectum. Quas ratioes efficaces esse, ait idem Castrop. & se illis persusum adhaerentem sententia Gonz. nisi S. Congregatio, & Rota gravissimis Decisionibus declarassent contrarium. Sic Garcias loc. cit. n. 196. in fine. postrelatam hæc Gonz. sententiam ait, hæc revera esse contra Declarationes S. Congregationis, & Rota Decisiones, Lott. verò cit. n. 49. ait, hæc Gonz. sententiam rejiciendam non tantum, quia est contra Declarationes S. Congregat. & frequentes Decisiones Rotalis, ut pronunciatum ab ipsâ Rota fuit in aduersis benef. 15. April. 1622. quæ utrumq; Gonz. nimirum & Gratian. rejecerit, sed etiâ quia est contra aperitissimam juris ratione, quam Gonz. non attigerit, & quæ

& quæ ex Concilio Trid. à Gonz. adducatur, ait Lott. non facere ad rem; eò quòd Concilium loquatur, non de loco Collegii, qui dicitur Collegium materialiter tantum, sed de Collegio materialiter tali, de cujus essentia non est fabrica, & cetera illa, quæ ibi commemorat, etsi spectent ad illius conservationem & durationem. Porro ut Seminarium erectum esse censetur in ordine ad hoc, ut validè ei fiat dicta unio, præter hoc quòd in domum coemptam vel conductam inducti sint scholares aliqui & magistri, requiritur à Rota in dicta decisione, ait Lott. *loc. cit. n. 51.* tanquam ad constituendam formam Seminarii seu Collegii, ut electi sint duo Canonici pro regimine & gubernio Seminarii; item electio duorum Consultorum pro instituendis taxis & faciendis unionibus, quorum unus de Capitulo, alter de reliquo Clero, præter totidem alios per Capitulum, scilicet unum & alterum per Clerum, ita ut hac formâ non datâ, utique nec in articulo summarissimi possessorii retinenda possint sustineri partes illius in ejus persona, qui possessionem cepisset nomine ipsius Seminarii eo non præexistente. Illud etiam notandum ex eodem Lotterio *n. 53. & 54. Ventrigl. loc. cit.* exceptionem hanc non præexistentis erectionis diversam esse ab exceptione præexistentis quidem, sed minus legitimâ; eò quòd, dum excipitur de non præexistentia, proculdubio illud caret omni dubio; cum non entis nullæ sint qualitates, prout decisum ait in *Cordub. præsimonia 7. Nov. 1601. & in Leodiensi beneficiorum 10. Nov. 1602.* Si verò excipiatur, erectionem factam, tunc nulliter, rejiciatur ad petitorium, & interim detur manuentio Seminario, prout decisum in *Adjacensi benef. 16. Nov. 1622.*

4. Respondeo quartò: Ut dicta unio fiat validè, præter dictam erectionem legitimam Seminarii requiruntur adhuc duo tanquam de forma; primum, ut præcesserit unionem detractio illa fructuum de mensâ Episcopi, aliorumque beneficiorum ipsius diocesis, de quo paulò supra, Castrop. *loc. cit. n. 15. Gonz. loc. cit. n. 75. Lott. loc. cit. n. 61.* sic resolutum dicens à S. Congreg. & decisum à Rota in *Aversana beneficior. 3. Julii 1606.* nisi (ut Lott. id limitat secundum aliud S. Congregationis responsum in *Tirasonensi unionis. de anno 1610.*) foret loco illius dismembrationis à propria mensâ Episcopi pinguius mentem Concilii adimpletset, assignando pecunias, & redditus ex proprio Patrimonio. Alterum, ut instet necessitas relata in illo Tridentini decreto de facienda unione Seminaris, quæ sit præcisâ, rejectâ quâcunque consideratione commodioris sustentationis vel, amoenitatis, & recreationis gratia. Lott. *n. 60.* expendaturque cum Consilio deputatorum prædictorum, ita ut non sufficiat exilitatis causam, nisi adhibitum dictum Consilium. Idque, nisi etiam five agatur de unione, five de applicatione illorum fructuum dismembratorum. Lott. *loc. cit. n. 60.* sic censuisse dicens Rotam in *Mediolanensi prætensa union. 16. Nov. 1594.* Castrop. *loc. cit. n. 15. Garc. p. 12. c. 2. nu. 190.* Atque ita non requiritur ad hanc unionem faciendam consensus Capituli, sed ejus loco requiritur dictorum quatuor ex eo deputatorum Consilium. Garc. Castrop. *ll. cit.* non tamen ex postea dato hoc Consilio.

Quæstio 889. Quanam beneficia uniri, & quæ uniri non possint Seminario?

1. Respondeo primò: Quòd in hoc puncto in favorem Seminaris statuit Trid. nempe *sess. 23. c. 18.* illud est, quòd Episcopus ei unire, applicare & incorporare possit aliquot beneficia simplicia cujuscunque qualitatis & dignitatis fuerint, etiam præsimonia, vel præsimoniales portiones, etiam ante vacationem, sine cultus divini, & illa obtinentium præjudicio, esto beneficia sint reservata vel affecta; nec per resignationes ipsorum beneficiorum uniones & applicationes suspendi, nec ullo modo impediri possint. Castrop. *cit. §. 3. n. 13.*

2. Respondeo secundò: Non posse Episcopum omnia beneficia simplicia suæ diocesis unire Seminario, prout colligitur ex illis Trid. verbis: *nec non aliquot beneficia simplicia.* Castrop. *cit. §. 3. n. 14.* citans Barbof. *ad cit. loc. Tridentini n. 27.*

3. Respondeo tertio: Non posse ei uniri (intellige ab Episcopo) curata, utpote non cadentia sub illo Concilii decreto, prout patet ex ejus verbis: *nec non simplicia aliquot.* Cardin. de Luca, de *Paroch. d. 35. n. 4. Gonz. gl. 5. §. 7. n. 63. & 64.* Sed nec simplicia exigentia residentiam, ne cultus divinus minuatur, & fructus, qui ex unione Seminario facta accrescere poterat, ex altera parte, nimirum sublata dicta residentia, minuatur. Castrop. *loc. cit.* citans Barbof. *ubi ante. n. 29.* Neque etiam Canonicatus Ecclesiæ Collegiatæ, etiamsi ex natura sua non obligent ad residentiam. Ventrigl. *ro. 2. annot. 2. §. 1. nu. 36.* Neque spectantia ad collationem inferiorum collatorum. Castrop. *loc. cit.* Barbof. *juris Eccles. l. 3. c. 16. num. 30.* Neque quæ sunt Jurispatronatus, etiam Ecclesiastici. Castrop. Barbof. *ll. cit.* Neque jam annexa vel unita Monasteriis; quia in hoc eorum juri quæsito præjudicare non intendit Tridentinum. Castrop. *loc. cit.* Barbof. *ad Trid. cit. num. 39.* Neque beneficia, quæ post eorum vacationem fuerunt reservata. Secus est de iis, quæ jam reservata sunt, antequam vacent (qualia sunt, quæ vacabunt in mensæ Apostolice) Castrop. Barbof. *de por. Ep. alleg. 77. n. 30. & juris Eccles. l. 3. c. 16. n. 30.* citatis pro hoc Molfes. *in sum. Th. mor. tr. 6. c. 14. nu. 61. Franc. Leon. in Thes. fori Eccles. p. 2. c. 16. n. 33. Garc. cit. c. 2. n. 102.* juxta declarationes S. Congregat. quas *ibid.* recitat, quarum prior *super. c. 18. sess. 23.* sic habet: *Congregatio sacri Concilii censuit, uniones beneficiorum reservatorum validas esse, modo factæ fuerint ante eorum vacationem, servatâ formâ à Trid. præscriptâ. Et altera super c. 15. sess. 24. sic: Idem servandum, quod S. memoria Pius V. & S. D. N. Gregor. XIII. decreverunt in unionibus factis seu faciendis Seminario, quòd uniones de beneficiis reservatis valide sunt, si modo fuerint factæ ante ipsorum vacationem; quòd si post eorum vacationem factæ reperiantur, nullæ sint, & provisi à Sede Apostolica mitti debeant in possessionem dictorum beneficiorum &c.* Rationem hujus dat Castrop. Quòd ante vacationem certum non sit, an vacatura sint mensæ Ordinario, an reservato; ac proinde evitetur fraus, quæ intervenire posset, Episcopo uniente reservata, seu vacantia in mensæ Apostolice, & non reservata seu vacantia in mensæ suo non uniente; sed conferente consanguineis suis. Ex quo etiam limitatur hæc ultima responsio juxta declarationem factam Episcopo Aquilano 2. April. 1572. quam refert Garc. *loc. cit. n. 104. & Zerol. in pr. Ep. p. 1. v. Seminarium. §. 5.* quæ sic habet: *Si Episcopus beneficia in suis mensibus*

vacantia non univert, & vacantia in mensibus reservatis unire non potest; cum in hoc frans censetur &c. Ad hocque, ut Garc. nu. 105. poterit Episcopus, & hac beneficia reservata, etiam post vacationem illorum unire, quando vacantia in suo mense, & ad suam collationem spectantia ipse prius univit. Ex quibus etiam deducitur, quod uniri nequeant Seminario, quae ita reservata sunt Papae, ut quocunque mense vacent; substat illius solius provisioni, ut sunt beneficia familiarium &c. Castrop. loc. cit. Neque uniri possunt ab Episcopo Seminario beneficia litigiosa, quia aliud est beneficium litigiosum, aliud beneficium reservatum, Barbof. juris Eccles. l. 3. c. 16. n. 30. citans Rotam in Cordub. praesum. 13. Jan. 1623.

Quaestio 890. An, & qua beneficia uniri possint Monasteriis & Collegiis Regularium, Hospitalibus, aliisque piis locis?

1. Respondeo primo: Posse Episcopum unire beneficia Abbatibus, monasteriis, & locis religionum. Garc. p. 12. c. 2. nu. 77. citans Felin. in c. in nostra. n. 42. de rescrip. Tond. qq. benef. p. 3. c. 151. n. 1. & 2. Lott. l. 1. q. 29. n. 39. eo quod potestas univertendi beneficia non exempta suae diocesis concessa quoque sit Episcopis, ut ea uti possint in favorem Monasteriorum, & locorum regularium, per c. consultationibus. & c. pastoralis, de donat. & Clem. si una. de reb. Eccl. non alien. Tond. cit. num. 2. Et sic posse Episcopum beneficium suae diocesis faculare alicui religioni unire, stantibus decretis Concilii Trid. expressè tradit Barbof. juris Ecclesiast. l. 3. c. 16. n. 36. ex Sanch. in Decalog. l. 7. c. 29. n. 147. & 148. & cum iis Castrop. cit. p. 12. §. 3. n. 21. Item posse cum Ecclesiam secularem sibi subjectam Monasterio religionum, vel alteri loco pietatis communis causâ constructo donare, tradit Azor. p. 2. l. 6. c. 28. q. 19. etiam, cum illa Ecclesia non vacat, juxta c. consultationibus, & c. pastoralis, de donat. ubi etiam hanc ex Abb. in c. suggestum, de jurep. Azor hanc dat differentiam inter illam donationem, quâ una Ecclesia alteri datur, & inter conjunctionem, quâ una annectitur alteri: Quod dum una alteri donatur, redditus & cetera bona Ecclesia, quae datur, concedantur alteri, ut in proprios usus convertat. Limitanda tamen hac, ut tale beneficium seculare vel Ecclesia non sit alterius diocesis (prohibetur enim sess. 14. c. 9. Trid. fieri uniones beneficiorum unius diocesis cum Monasteriis, Collegiis, & aliis piis locis alterius diocesis; ne Ecclesiasticus ordo confundatur, & fiat una Ecclesia duarum diocesium. Gonz. cit. §. 7. n. 62.) aut etiam curata juxta mox dicenda. Barbof. loc. cit. de cetero procedunt dicta, etiam si religiosi, & Monasteria, quibus fit unio, sint exempta. Tond. loc. cit. Garc. loc. cit. num. 78. citans Calder. conf. 5. de reb. Eccl. Cardin. in Clem. si una. n. 11. Caccialup. tr. de union. a. 4. q. 4. contra Per. de Perus. eod. tr. c. 4. n. 10. Idem est de Hospitalibus aliisque piis locis.

2. Respondeo secundo: Ecclesias tamen Parochiales, & beneficia curata unire nequit. Garc. loc. cit. n. 86. Barbof. juris Eccles. l. 3. c. 16. n. 33. Castrop. de benef. d. 6. p. 12. §. 3. num. 17. Azor loc. cit. q. 17. Ventrigl. to. 2. annot. 8. §. 1. n. 13. Tridentino sess. 24. c. 13. Sic expressè statuente, ne Ecclesiae Parochiales Monasteriis quibuscunque, aut Abbatibus, seu dignitatibus aut praebendis Ecclesiae Cathedralis, vel Collegiatae, sive aliis beneficiis simpli-

cibus seu Hospitalibus, militivive uniantur. Arguenda per hanc Tridentini dispositionem restricta jam est potestas, alias de jure Ordinario concessa Ordinariis seu Episcopis, univertendi quilibet diocesis beneficia aliis beneficiis, Monasteriis & piis locis. Castrop. loc. cit. seu, ut ait Lott. loc. cit. n. 40. in hoc plurimum angustatum est jus commune, quo inspecto, facultas univertendi competens Ordinario referretur ad omnia beneficia praeter Ecclesias Cathedralis & religionum. Extenditurque hoc ipsum decretum Trident. juxta S. Congregat. declarationem, ut non solum intelligendum sit de ipsorum Parochialium beneficiorum univertendi; sed etiam de aliqua parte fructuum eorumdem, ut ea dictis locis uniri ab Episcopo nequeat. Ventrigl. loc. cit. Garc. loc. cit. n. 87. Barbof. cit. n. 33. citans Riccium in pr. fori Eccles. decis. 492. editionis prima, alias resol. 383. nu. 5. Neque admittenda limitatio, quam tradit Gonz. ad reg. 8. gl. 6. nu. 96. & cum eo Barbof. loc. cit. nu. 34. & Ventrigl. loc. cit. num. 14. Quod sub hoc Tridentini decreto non veniant ex Parochiales, quae certos fines & limites non habent, sed solum certum populum, & per certas familias distinguuntur, usque adeo, ut Sacramenta promiscue non administrantur; qualiter dicunt, censuisse S. Congregationem; eo quod haec non videatur esse proprie Parochiales. Garc. loc. cit. n. 88. Castrop. loc. cit. n. 18. eo quod, esto, talis Ecclesia non sit proprie Parochialis, sit tamen beneficium proprie Parochiale, ut Castrop. fallatur autem isti AA. allegando dictam S. Congregat. declarationem; cum ea non referatur ad decretum illud Trid. de unionibus, sed ad decretum contentum in finalibus verbis cit. c. 13. quo disponitur, ut Episcopi in iis Parochiis, quae non habent fines, neque earum Rectores populum certum, sed promiscue petentibus Sacramenta ministrant, distincto populo in certas propriasque Parochias, unicuique suum perpetuum peculiaremque Parochum assignent, a quo solo Sacramenta percipiant, aut utiliore modo provideant; ita ut S. Congregatio decidat, sub hoc decreto non comprehendendi Parochiales, quae etsi certos fines non habeat, habet tamen certum populum, & per certas familias distinguitur, ita ut Sacramenta promiscue non administrantur; de decreto vero unionum nihil declarat. Garc. & Castrop. loc. cit. Neque admittenda alia limitatio, quae Barbof. cit. nu. 34. Tond. loc. cit. nu. 5. (ubi etiam, quod Tridentinum quo ad dispositionem illam, quae disponit curata non uniri Monasteriis, non esse in Gallia receptum) citato pro hoc Gonz. gl. 5. §. 7. num. 46. excipiunt uniones beneficiorum curatorum, quae fiunt pro fundatione, dotatione, augmento piorum locorum, & fidei Christianae defensione, & propagatione; bonarumque artium cultus, quia dum Trident. absoluit, & sine dicta limitatione prohibet fieri dictis locis uniones Parochialium, est limitatio sine fundamento apponitur. Castrop. cit. n. 18. & ut idem rectè ait, si Trident. prohibet fieri istiusmodi Parochialium beneficiorum uniones Seminario, in quo tamen juvenus instituitur ad fidei Catholicae defensionem, & propagationem, bonarumque artium cultum, certe dictus finis non tribuit illam potestatem Episcopis faciendi dictas uniones, male etiam citatur a Barbof. Gonz. cum is ibi solum loquatur de reg. 12. Canon. Revocatoria unionum, censetur ab ea non comprehendendi tales Parochialium uniones factas pro fundatione

darione, augmento vel conservacione piorum locorum. Unde jam, dum hodie dum vides passim Parochialia beneficia unita & incorporata Collegiis Regularium, has uniones crede factas vel ante Tridentinum auctoritate etiam Episcopali; vel post Tridentinum interveniente auctoritate Sedis Apostolicae. Card. de Luca. *ad Trid. d. 8. n. 19.* id ipsum etiam applicans unionibus istiusmodi beneficiorum Parochialium factis Canonicatibus, dignitatibus, mensisque Capitularibus. Porro, dum quandoque Ordinariis hodie dum etiam conceduntur à Papa indulta faciendi uniones hujusmodi, an dicta concessio censenda sit personalis, an verò etiam ad Successores transeat, qualiterque intelligenda & practicanda, idem Cardin. *ibid. n. 21.* ait, generali regulà definiri non posse; cum non sit punctus juris, sed facti, ex ipsius facti particulari qualitate, & circumstantiis decidendis. Ac denique, quodnam dicatur beneficium Parochiale & curatum, utiliter leges apud Gonz. *gl. 6. à nu. 34. per plurimos num. sub leg.*

Quaestio 891. An, & quae beneficia uniri possint Capitulo & mensa Capitulari, aut etiam fabrica Cathedralis vel Collegiata?

Respondeo primò: Ipsi Capitulo, seu Capitulari mensa, seu massa uniri non possunt ab Episcopo etiam simplicia. Castrop. *de benef. d. 6. p. 12. §. 2. n. 6.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 28. q. 17.* Garc. *p. 12. c. 2. n. 168.* Lott. *l. 1. q. 29. nu. 45.* Ventrigl. *to. 2. annot. 8. §. 1. n. 20.* Barbof. *juris Eccles. l. 3. c. 16. nu. 35.* Gonz. *ad reg. 8. gl. 37. n. 26.* (ubi ait: Consului & obtinui in S. Congregatione Trid. mensè Septemb. anni 1610. quòd unio facta ab Episcopo Cavensi mensa Capitulari de quibusdam beneficiis simplicibus, vigore Trid. *sess. 24. c. 15.* esset nulla, quia dictum Concilium non dat facultatem uniendo mensa Capitulari, sed praebendis Capitularium &c.) juxta *Clem. si una. §. fin. de reb. Eccles. non alien. quã caverur, ne Episcopus beneficium conjugat vel annectat suæ vel Collegii Canonico- rum mensa, etiam ipsius Capituli consensu accedente.* Quam Clementinam procedere ait Garc. *num. 169.* quando unio fit principaliter & directè Capitulo, secus si in consequentiam, & indirectè est in utilitatem Capituli, puta, dum unio fit directè praebendis, & iis applicantur beneficiorum unitorum fructus. Unde jam procedit responsio, si five bona Episcopi, & Capituli sint communia, si id cederet (intellige, ut dictum, directè) in utilitatem Capituli & Episcopi, dum nimirum fructus applicarentur Capitulo seu mensa Capitulari, vel Episcopali. Corrad. *pr. benef. l. 2. c. 8. n. 84.* cum Barbof. *de pot. Episc. allegat. 67. num. 9.* Ratio enim eadem est, ne videlicet Episcopus, vel etiam Capitulum (utpote cujus consensus requiritur ad hoc, ut Episcopus uniat beneficia) uniendo mensa suæ vel Capitulari, jus sibi dicat, & in facto proprio Auctoritatem praestet. Castrop. *Corrad. l. cit. juxta cit. Clem. & ibi AA. communiter.* Proinde ut unio fiat ipsi Capitulo, seu mensa, & massa Capitulari, requiritur auctoritas Papæ. Corrad. *loc. cit. Garc. cit. n. 168.* citans *gl. in cit. Clem. si una. v. mensa.* Cardin. *ibid. in fine. num. 3.* Abb. *in 6. Oldi. conf. 262. n. 3.* quamvis addat juxta Bonifac. *in cit. Clem. n. 12.* posse pro tali unione recurri ad Archiepiscopum, intellige Metropolitanum Episcopi.

2. Respondeo secundò: Possunt tamen ab Episcopo uniri simplicia alicui dignitari, vel praebenda Capituli; imò omnibus praebendis, non simul seu collectivè acceptis, sed separatim & distinctè, & sic distributivè sumptis, seu singulis, permittente id Tridentino. *sess. 24. c. 15.* quando in Ecclesia Cathedrali vel Collegiata insigni aded tenues sunt praebenda, ut cum distributionibus quotidianis non sufficiunt decenti Canonico gradui pro loci & personarum qualitate sustinendo. Cardin. de Luca. *ad Trid. d. 8. n. 17.* & *de benef. d. 44. nu. 2.* & 3. Lott. *Corrad. Castrop. l. cit.* non enim per hoc dicitur adhuc facta unio ipsi Capitulo; cum aliud sit universitas, aliud singuli de universitate, ut *gl. in l. siur. ff. quod cujusque universitat. nomine. v. non debetur;* adeoque & aliud sit Capitulum, aliud singuli de Capitulo. *c. Episcopus §. qui manumittitur. 12. q. 2.* Felin. *in c. cum accessissent. de confir. n. 22.* Gonz. *gl. 37. n. 23. 24.* & seq. Castrop. *Corrad. l. cit. Garc. nu. 170.* Quamvis idem Garc. *nu. 171.* censet, eam esse nimiam restrictionem istius dispositionis Trident. quòd non nisi singulis praebendis singula beneficia uniri valeant, & non omnibus indistinctè unum aut plura, prout sentiunt citati AA. & expressius Ventrigl. *loc. cit.* Card. de Luca *de benef. d. 44. n. 2. & d. 45. n. 2.* cum Gabriel. *conf. 178. num. 3.* & seq. *l. 2.* ubi etiam addat, fuisse aliàs judicatum, factam sic unionem fuisse nullam, etiam si Cathedralis aut Collegiata non haberent praebendas distinctas, sed tantum distributiones communes pro interessentibus divinis. Adeoque Garc. verius existimat, vi dicti decreti posse fieri unionem omnibus praebendis seu distributionibus simul, juxta declarationem S. Congregationis Concilii, quæ dicat, has uniones fieri posse in distributionibus quotidianis, ubi hæc & praebenda tenues sunt &c. Neque adhuc ideo posse dici ait, quòd unio fiat Capitulo seu mensa Capitulari. De ceterò, dum unio fit uni praebenda, aut etiam singulis praebendis, etsi propter commodum singulorum Canonici in hoc dando, prout requiritur, suum consensum, videantur suspecti, adhuc tamen illam suspicionem non facere, quòd dicatur causa propria Capituli, & ideo, licet singulis acquiratur utilitas, verum adhuc esse dicere, Capitulum non praestare Auctoritatem in facto proprio, ait Garc. *n. 174.* ex Imol. & cum illis Corrad. *loc. cit. n. 89.* addit tamen idem Corrad. *n. 90. & 91.* quòd, licet Episcopus cum consensu Capituli suppressere possit dignitatem vel officium, ejus fructus applicando non Capitulo, sed distribuendo inter singulos Canonicos, assignando cuique Canonico vel praebenda certam portionem, prout sentiunt, quos citat Gabr. *conf. 186. l. 2.* Gratian. *discept. for. c. 819. n. 24.* Admittitque id etiam Garc. *nu. 175.* qui etiam inhaerens suæ doctrinæ, addit, posse in vim dicti decreti Trid. in hoc casu fructus praebendarum suppressarum applicari ab Episcopo reliquarum distributionibus simul, & in communi, & indistinctè. Nihilominus ubi bona Episcopi, & Capituli sint communia, veluti si Episcopus sit etiam suæ Ecclesiae Canonicus, ut contingit quandoque, adeoque sit de Capitulo, & tanquam Canonicus habet fructus praebenda, certum est, non posse Episcopum tunc in hoc facto proprio auctorizare, sed recurrendum ad Papam, vel ad Metropolitanum, prout id ipsum tradit Lott. *l. 1. q. 28. n. 60.* Atque ita in praxi servari, & millies fieri videri in Curia Romana, ait Corrad. *n. 92.* ut cum

de huiusmodi suppressionis ac unionis validitate quoquo modo habitatur, vel illa petantur à principio à Papa, vel illa jam ordinariâ auctoritate facta confirmantur à Papa. Porro, ut constat ex ipsis verbis Tridentini, non habet dicta dispositio Tridentini de faciendâ unione præbendis singulis, seu distributivè acceptis locum, nisi in Cathedralibus & Collegiatis insignibus; neque in iis etiam valet, nisi necessitate, & tenuitate id exigente. *Corrad. loc. cit. n. 57.*

3. Respondeo tertio: Facere quoque potest Episcopus uniones fabricæ Ecclesiæ etiam Cathedralis; quia est locus pius, & religiosus, *Castrop. de benef. d. 6. p. 12. §. 2. n. 6. Garc. cit. c. 12. n. 79. citans Imol. in cit. Clem. si una. n. 14. Felin. in c. cum accessissent. de Constit. n. 22. & Rotam decis. 133. n. 6. p. 2. divers. contra Ventrigl. to. 2. annot. 8. §. 1. n. 33. negantem, posse istas uniones ab Episcopo fieri sacrificiæ vel fabricæ; eod quod Concilium tantum loquatur de præbendis, quem tamen intelligendum dici potest, juxta quod Garc. interpretatur declarationem S. Congregat. Neque huic responsioni obstare ait Garc. nu. 80. declarationem super c. 15. sess. 24. Trid. quæ dicit: Episcopus non potest simplicia beneficia unire distributionibus Capellanorum Ecclesiæ Cathedralis pro divini cultûs augmento; & similiter non potest facere eas uniones fabricæ seu sacrificiæ ob ejus paupertatem, ad ornatum aliâque Ecclesiæ necessaria &c. eod quod hæc declaratio intelligenda sit, quod Episcopus non possit in vim dicti decreti c. 15. sess. 24. istas uniones facere; cum loquatur de solis præbendis, non tamen per hoc neget dicta declaratio, id eum posse facere aliâ ex jure communi.*

4. Respondeo quartò: Non posse tamen Episcopum, etiam dicto modo distributivè, præbendis aut distributionibus Capituli unire beneficia simplicia Regularia. *Lott. l. 1. q. 28. n. 45. Neque etiam Ecclesiâ Parochialis uniri potest Capitulo Cathedralis ob tenuitatem Canoniatuum, & ob difficultatem, vel etiam impossibilitatem vivendi, Ventrigl. to. 2. annot. 8. §. 1. n. 15. citans Aldan. in compend. Canon. resol. l. 4. tit. 8. n. 3. qui sic resolutum dicat in una Alexandrina 3. Maii 1594.*

Questio 892. An & qualiter dignitatibus uniri possint alia beneficia?

1. Respondeo primò: Dignitatibus Capituli tam Collegiatae insignis, quam Cathedralis, non minus ac præbendis, ubi tenues proventus habent, uniri possunt simplicia per Episcopum vi decreti Trident. sess. 24. c. 15. *Garc. p. 12. c. 2. n. 170. Cardin. de Luca. ad Trid. d. 8. nu. 25. ubi ait: Cum decretum Conciliare loquatur de præbendis Cathedralibus, hinc orta fuit questio, an dignitatibus Cathedralium seu Metropolitanarum huiusmodi uniones fieri valeant, ubi eadem urget ratio. Atque licet litera legis negativam suadere videatur, affirmativam tamen potius suadet identitas, modo majoritas rationis; atque ita me scribente, per Congregat. Concilii declaratum fuit &c. Et fusius de beneficiis. d. 46. ferè per tot. ubi ex professo hanc questionem tractat, & n. 5. solvit objectum illud in contrarium: quod cessante consuetudine particulari, de jure dignitates non dicantur de Capitulo, nec in eo vocem habere; nempe quod procedat magis juxta usum antiquum Canonum, quod dignitates nullam habeant præbendam, neque Ecclesiæ cultui vel servitio vacent more aliorum Canonorum, & beneficiarum, confi-*

stente eorum munere in jurisdictione aliqua spirituali vel temporali, ut erant Archidiaconi, Archipresbyteri, Vicarii nati Episcopi, unus in spiritualibus, alter in temporalibus, & uti hodie cernitur in primis illis dignitatibus Collegiarum, dum hæc dignitates omnes magis Prælatorum, quam Capitularium Ecclesiæ figuram faciunt, nullamque habent præbendam, quæ dicitur subiectum, cui faciendâ unio, & sine qua conciliare decretum non est verificabile, ut pluries declaravit S. Congregatio, ut habetur per Rotam decis. 137. n. 34. p. 9. recent. Hodiedum verò, ut ait idem Cardin. de Luca *ibid. nu. 9.* de generali, ferè consuetudine est, ut dignitates sint de Capitulo, insiâque aliorum Canonorum in Choro interveniant, aliisque concernentibus cultum, & servitium Ecclesiæ vacent, æque habentes præbendas, vel etiam participationem illius massæ grossæ distributionum, quæ in aliquibus Ecclesiis sunt loco præbendæ, nec non participantibus, de distributionibus quotidianis minutis, adeo ut in substantia sint Canonici, etiam sub nomine auri quarum illarum dignitatum in sola ferè nuncupatione cum aliqua preminencia supra alios consistentium, & vel sic jure aliorum Canonorum dicuntur de Capitulo, tam ad effectum vocis, quam alium, v. g. accipiendi possessionem capitulariter, similemve. Unde jam, ut habet n. 10. intret necdum identitas, sed etiam majoritas rationis; eod quod dicit Concilium (quod mandando fieri istiusmodi uniones, non tam favorem possessorum Canoniatuum ac dignitatum, quam principaliter ipsius Ecclesiæ spectabat utilitatem, cultum nimirum ac decorem, adeoque intelligendum venit de iis, qui ipsius Ecclesiæ servitio ac cultui vacant, constituentes Capitulum illius Ecclesiæ representativum) provideat, ut membra inferiora istius corporis pro decente gradu sustententur, & non vilescant, multo magis id sentiat de membris primariis ac nobilioribus. Quod ipsum, ait Cardin. de Luca, non est trahere decretum illud per viam extensionis, sed potius est, illud interpretari ac praticare per viam comprehensionis, quæ admittitur etiam in statutis à jure exorbitantibus, strictam interpretationem recipientibus, & sic non admittentibus extensionem, ut Mascard. de statut. interpretat. conf. 4. n. 56. & 167. Ex quibus illud videtur consequi, non posse unire Episcopum (saltem in vim dicti decreti Trid. cit. c. 15.) beneficia simplicia dignitati, quæ in Ecclesiâ Cathedrali vel Collegiata non habet vocem in Capitulo, nec reditus ex mensa Capitulari, uti id hisce ferè expressis tradit Ventrigl. to. 2. annot. 8. §. 1. num. 34. quin & addit; etiam si de cetero deserviat talis dignitas in Choro: & sic dicit haberi declaratum à S. Congregat. super cit. c. 15. die 19. Decemb. 1584. Illud etiam videtur verum, quod habet idem Ventrigl. loc. cit. n. 33. quod Episcopus non possit unire alia beneficia simplicia Capellanis, etiam Ecclesiæ Cathedralis, dum habent tenues reditus.

2. Respondeo secundò: Parochiales tamen & beneficia curata per Episcopum uniri non possunt dignitatibus Cathedralium aut Collegiarum. *Barbos. juris Eccles. l. 3. c. 16. n. 33. Garc. cit. c. 2. n. 86. Castrop. cit. p. 12. §. 3. n. 17. & cor loc. cit. q. 17. cum communi, sic enim expressè statuit Trid. sess. 24. c. 13. Iterumque hic locum habet, quod dictum supra de Monasteriis, quod ne quidem pars fructuum Parochialium dictis dignitatibus uniri possit*

fit juxta declarat. S. Congregat. Garc. num. 87, Castrop. loc. cit. Nihil tamen vetat, quo minus Episcopus cum consensu Capituli curam animarum, quæ incumbit toti Capitulo, transferre, etiam per viam unionis possit in obtinendæ dignitatem in eadem Ecclesia, vel in alium Canonicum ejusdem Ecclesiæ. Garc. p. 9. c. 2. nu. 190. recitans probac declarat. S. Congregat. Ventrigl. loc. cit. n. 16. citans Aldan. in comp. Canon. resolut. l. 4. tit. 8. n. 4. Porro, dum aliquæ dignitates unitas sibi præcedunt Parochiales, diligenter id examinandum; cum non omne jus, quod Monasterium vel dignitas aliqua in Parochialem habet, veram annexionem seu unionem importet, sed prout dictum aliquoties, quandoque solum Juspatronatus vel tributum, censuram, aut pensionem, protectionem, aliamve dependentiam. Card. de Luca. ad Trid. d. 33. n. 34.

Questio 893. Quæ, & qualiter uniri possint ab Episcopo Canonicatibus Cathedralium, & insignis Collegiata?

1. Respondeo primò: Uniri iis possunt simplicia, dum tenues redditus habent, constat ex Trid. sess. 24. c. 15. juxta dicta paulò supra, cum autem beneficia de sui natura præsumantur congrua, hæc eorum tenuitas est probanda. Ventrigl. cit. §. 1. n. 19. Videtur autem insinuare Cardin. de Luca. de benef. d. 46. n. 7. quòd nequidem simplicia uniri possint Canonicatui, qui non habet præbendam, utpote sine qua verificabile non sit illud conciliare decretum. Porro quæ dicatur Collegiata insignis, jure definiti non posse, sed dimittendum Judicis arbitrio, ait Ventrigl. ibid. n. 17. ex Menoch. de arb. casu 158. n. 4. Judicem verò ad dijudicandam hanc qualitatem insignitatis pendere posse communem existimationem, ait ex Lott. l. 1. q. 15. n. 4. & seq. Item locum in quo sita est collegiata, & sic insignem fuisse judicandam sitam in oppido, ubi erant 820. focularia, ait, referri à Barbof. de capitulo & dignitat. c. 2. n. 18. Item existimari insignem ratione loci, si is communiter existimetur nobilis & insignis. De quo Nav. conf. 1. aliàs 3. de verbor. signif. Item dignosci ex eo, si Ecclesia illa sit matrix, si antiqua, si altas præcedat, si magnum numerum habeat ministrorum; si insignem structuram, & alia similia. De quibus Barb. loc. cit.

2. Respondeo secundò: Non posse eis uniri curata & Parochialia. Constat quoque ex Trid. sess. 24. c. 13. Gonz. gl. 5. §. 7. n. 63. juxta dicta quoque supra, cum eadem extensione, ut ne quidem pars fructuum parochialium illis uniri possit. Hic iterum notandum, quod quasi præced. dictum, posse curam incumbentem toti Capitulo, per viam unionis ab Episcopo transferri in certum canonicum ejusdem Ecclesiæ.

3. Respondeo tertio: Neque uniri illis possunt dignitates vel præbenda Cathedralium, vel etiam alii canonicatus. Gonz. loc. cit. n. 64. citans pro hoc Trid. sess. 24. c. 23. post princip. & sess. 6. c. 6. & sess. 25. c. 9. in fine.

Questio 894. Quæ, & qualiter uniri possint Parochialibus?

1. Respondeo primò: Uniri iis posse per Episcopum alia beneficia simplicia, residentiam non requirientia. Gonz. gl. 5. §. 7. n. 66. Ventrigl. cit.

§. 1. n. 35. juxta c. 5. sess. 20. Trid. Idque si Ecclesia curata adeo pauper est, ut aliter status ejus pro dignitate nequeat conservari. Lott. l. 1. q. 28. n. 184.

2. Respondeo secundò: Potest etiam iis alia curata, seu alia Parochiales unire, propter eandem earum pauperatatem, & in ceteris casibus à jure permittis. Castrop. de benef. d. 6. p. 12. §. 3. n. 11. Gonz. loc. cit. Ventrigl. loc. cit. juxta Trid. loc. cit. per quod etiam decretum ait Castrop. auctam esse à Papa potestatem aliis Ordinariis concessam uniendo beneficia, ut eam exercere possint tanquam Apostolica Sedis Delegati, uniendo quascunque suæ diocesis Parochiales cum aliis curatis, vel non curatis.

3. Respondeo tertio: Non tamen possunt iis uniri per Episcopum dignitates. Gonz. loc. cit. n. 64. Ventrigl. cit. §. 1. n. 2. citans Raccium in pr. p. 1. resolut. 393. vers. limita quartò. juxta Trid. sess. 23. c. 18. & sess. 24. c. 15. Neque etiam canonicatus. Gonz. Ventrigl. loc. cit. nisi, ut addit posterior, per modum suppressionis.

Questio 895. Quæ, & qualiter uniri possint simplicibus?

1. Respondeo primò: Simplicibus simplicia uniri possunt per Episcopum. Ventrigl. l. cit. n. 22. cum communi. Quæ responsio, quas pariat exceptiones, videbis ex seqq. qq.

2. Respondeo secundò: Non tamen iis uniri possunt Parochiales, aut alia curata. Ventrigl. loc. cit. n. 13. Garc. cit. c. 2. n. 86. Gonz. loc. cit. n. 63. juxta dispositionem Trid. sess. 24. c. 13. & sess. 14. c. 9. Neque dignitates aut canonicatus. Gonz. cit. n. 63. juncto n. 64. nequit enim magis dignum minus digno uniri. Ventrigl. loc. cit. n. 11. Gonz. cit. §. 7. n. 130. citans Gomef. de expectativis n. 36. Rebuff. in pr. tit. de union. n. 17.

Questio 896. An, & qualiter, & per quem uniri possint Cathedralibus inter se?

1. Respondeo primò: Rariùs hodie dum post Tridentinum in consistoriali Congregatione (quo res illa pertinet) agi de Cathedralibus unionem, occurrunt, èmque frequentem harum unionum usum in Italia esse dicto Concilio antiquiorum, ait Cardin. de Luca ad Trid. d. 8. n. 4. Dumque post Trident. quandoque factæ videntur, eas, ait ibidem, n. 5. Cardin. de Luc. non esse de duabus Ecclesiis, quæ priùs essent Cathedralibus, aded, ut quilibet suum Episcopum proprium haberet? sed potius esse casus unius Ecclesiæ, quæ priùs nullius erat Diocesis, vel etiam in aliqua parte Diocesis cum Prælato exempto, habente jurisdictionem Ordinariam in Clerum & Populum; unde inter eundem & Diocesanum oriebantur sæpe discordiæ, erectæ in Cathedralibus, & unico contextu principaliter unitæ antiquæ Cathedrali, cum qua erant controversiæ; eò quòd neque loci, neque dotis qualitas pateretur eam erigi in novam Cathedralibus cum proprio ac distincto Episcopo.

2. Secundo: Dum verò Ecclesiarum, quæ ab antiquo erant Cathedralibus, distinctos habentes Episcopos, faciendæ est unio, siue ea sit æquè principalis, ita ut quilibet suas jurisdictiones & prærogativas retineat cum omnimoda independentia ab altera, perinde ac si nullatenus unitæ essent: siue sit, accessoria & subjectiva, ita ut illa earum, quæ alteri subjectivè unitur, supprimi dicatur, amittendo nomen

nomen & essentiam Cathedralis, ac iure cuiusdam alluvionis evadendo pars seu membrum alterius; unde propterea antiqui fines confundantur, & illud territorium, quod prius stabat per se constituens unam Diocesim, fiat pars alterius Diocesis vel territorii: hac inquam unio per alium fieri non potest, quam per Papam, utpote ad quem unice ac privative ad quoscunque pertinet, dioceses ac territoria unire vel dividere. Cardin. de Luca, loc. cit. n. 10. juncto n. 8. & in miscell. d. 1. n. 5. Castrop. de benef. d. 6. p. 12. §. 2. n. 1. Azor. p. 2. l. 6. c. 28. q. 6. Garc. p. 12. c. 2. n. 60. Coatergeréque potest, ut ex huiusmodi Cathedralibus principaliter unicus una sit in provincia, & suffraganea unius Metropolitanis, altera verò sit in altera sub diverso Metropolitanis, seu etiam exempta, & immediate subiecta Sedi Apostolica. Card. Luc. ad Trid. loc. cit. n. 7.

Questio 897. An, & a quo, prima dignitates in Cathedralibus, & Principales in Collegiatis uniri possint?

Respondeo: Eas uniri posse aliis, sed non nisi a Papa. Castrop. Azor. l. cit. Idem est de aliis consistorialibus, quæ Sedi Apostolica referantur, & ejusdem auctoritate affecta dicuntur. Azor. loc. cit.

Questio 898. An, & qualiter beneficia diversarum Diocesium uniri valeant per Episcopum?

1. Respondeo: Episcopus beneficiis, etiam simplicibus, etiam quacunque ex causis, puta cultus divini augendi gratia vel simili, suæ diocesis unire nequit beneficiis, vel etiam aliis piis locis alterius diocesis, Tridentino expressè id inhibente (sess. 14. c. 9. Ventrigl. loc. cit. n. 25. Gonz. loc. cit. n. 82. Castrop. loc. cit. §. 3. n. 10. Garc. p. 12. c. 2. n. 85. Azor. loc. cit. q. 14. Card. de Luca. ad Trid. d. 8. n. 18. Atque ita per hoc conciliare decretum correctum est jus commune, quo spectato, poterat aliàs Episcopus beneficia suæ diocesis cum beneficiis alterius diocesis unire, accedente alterius Episcopi consensu. Garc. Castrop. l. cit. citantes Caccialup. tr. de union. d. 4. q. 13. & a. 6. n. 8.

2. Limitatur tamen responsio, ita ut possit & soleat quandoque talium beneficiorum fieri unio; dum nimirum idem Episcopus duas vel plures possidet Ecclesias cathedrales simul unitas, adeo ut de facto quod ad earum regimen pro una reputentur, eà nimirum specie unionis, quæ in unum veluti corpus coalescant. Cardin. de Luca. de benef. d. 19. n. 12. & ad Trid. loc. cit. ubi etiam, quod si duæ dioceses sibi principaliter unitæ essent, adeoque non coalescerent in unum veluti corpus, adhuc iniret conciliare decretum, & utriusque illius beneficia sibi invicem uniri non possint. Quod utique multo magis dicendum, si hic & nunc per accidens duæ dioceses ab uno eodemque Episcopo possessæ gubernarentur absque dicta unione, etiam a quæ principali.

Questio 899. An, & qualiter beneficia liberum & juris patronatus inter se uniri valeant?

Respondeo beneficia libera collationis per Ordinarium uniri non possunt beneficiis juris patronatus. Castrop. loc. cit. §. 3. n. 20. Card. de Luca. ad

Trid. d. 8. n. 19. Riccius in pr. p. 1. resol. 393. n. 5. ver. imita. tertio. cum Leon. Thesaur. for. Eccles. p. 2. c. 18. n. 14. (quem Ventrigl. vocat originale auctorem hujus sententiæ) juxta dispositionem Trid. sess. 25. c. 9. eà ducti ratione, ne beneficia libera in servitutem redigantur, induendo naturam juris patronatus, cui uniantur contra Lott. l. 1. q. 28. n. 165. ubi tradit, quod ethi contra regulas sit, liberum uniri patronato, permittum tamen etiam id sit Ordinatio urgente causâ; eò quod per hoc non censetur liberum redigere in servitutem, sed extinguere, & constituere prædium alterius, pro quo citat Rotam decis. 122. n. 2. p. 2. recent. Has repugnantes sententias ita conciliat Ventrigl. To. 2. annot. §. 1. n. 28. (sic decisum esse dicens a S. Congregat. ad cit. c. 9. prout referat Leon. loc. cit. in fine.) ut velit libera posse per Episcopum uniri beneficiis juris patronatus, ubi vel patroni renunciarunt juris patronatus; vel quando concordarunt, ut beneficium juris patronatus (intellige, habens sibi accessorie unum beneficium liberum) alteri unum provideretur unâ vice ad præsentationem patronorum, alteri a vice per liberam collationem. Atque ita intelligendam cum his restrictionibus, ait, sententiam Lotterii: extra vero illas limitationes manere intactam dispositionem Concilii.

Questio 900. An manualia, & monocularia beneficia uniri valeant aliis beneficiis?

1. Respondeo ad primum: Manualia, non factâ mentione manualitatis uniri nequeunt, & impetratio unionis non factâ eà mentione est nulla. Card. de Luca. de benef. d. 97. n. 21. Patifac. res. sign. l. 10. q. 2. n. 38. (qui tamen subjungit n. 39. hoc procedere in beneficiis regularibus, utpote quorum manualitas sit de jure communi) Corrad. qu. benef. p. 1. c. 6. n. 266. ubi, quod gratia unionis tactâ manualitate in seculari sit subrepticia. item in idem n. 295.

2. Respondeo ad secundum: Pari modo beneficium monoculare (quale dicitur, cujus solius & unici conferendi jus habet aliquis collator) uniri nequit non factâ mentione monocularitatis. Lott. l. 1. q. 39. n. 5. ubi, quod unio Apostolica reddatur nulla, si non sit factâ mentio, quod beneficium unum sit monoculare. De cetero nil vetat, quod minus tale beneficium, requisito illius collatoris consensu, uniri valeat alteri, etiam per Ordinarium.

Questio 901. An, & quæ beneficia, & qualiter uniri potestas competat Episcopis?

1. Respondeo primo: Præter ea, quæ jam in antecedentibus dicta sunt, competit vi juris communis, nempe c. sicut unire de excess. pastor. & c. Pastoralis de donat. Episcopo potestas unendi beneficia suæ diocesis. Barbol. juris Benef. l. 3. c. 16. n. 54. Garc. p. 12. c. 2. n. 62. Castrop. cit. p. 12. §. 2. n. 2. Ventrigl. loc. cit. §. 1. n. 2. Lott. l. 1. q. 28. n. 11. Pond. 99. benef. p. 3. c. 15. n. 1. Et quidem omnia, quæ exempta non sunt. Castrop. Pond. l. cit. sic Lott. l. 1. q. 29. n. 40. cum Per. de Perus. tr. de union. c. 4. n. 28. ait: In respectu jure communi facultas unendi competens Ordinatio referretur ad omnia beneficia, præter Ecclesia Cathedralis & Religiosorum. Unde cum Garc. loc. cit. n. 63. citat Oldr. cons. 262. n. 2. & cum illis Ventrigl. l. cit. n. 23. citato Riccio in pr. p. 1. resol. 393. n. 4. tradidit, eum non posse omnia, nequidem simplicia suæ diocesis unire: vel intelligendum est de unione omnium

omnium facta seminario, de hoc enim loquitur declaratio S. Congregat. quam pro se citat Garc. vel ad summum ita accipiendum, ut non possit unire omnia, nullis relictis inunitis. Quæ tamen potestas universalis Episcoporum, qualiter à Trident. restricta aut immutata, patet partim ex præcedentibus, partim patebit ulterius ex dicendis, uti & quas data responsio patiatur exceptiones; Exemptorum verò à sua jurisdictione beneficiorum uniones facere nequit; quia horum solus Papa est Superior, ac proinde ad eum solum spectat ea unire. Tond. loc. cit. c. 128. n. 4. Barbof. loc. cit. citans Rebuff. in pr. cit. de union. n. 2. Hojed. de incompat. p. 2. c. 3. n. 7. Nihilominus exempta in hoc sensu, quod non subjaceant liberæ collationi Episcopi, sed collationum spectet ad alios inferiores collatores, vel saltem præsentatio ad patronum unire adhuc poterit requisito horum patronorum & collatorum consensu. De quo § seg. Ventrigl. cit. §. 1. n. 27. Porro prædicta intelligenda sunt de unione proprie dicta, seu facta in perpetuum, Nam

2. Respondeo secundò: nullius beneficii unionem ad vitam tantum facere potest Episcopus. Gonz. cit. §. 7. n. 146. Castrop. cit. §. 2. n. 7. Ventrigl. loc. cit. n. 24. Barbof. juris Eccl. l. 3. c. 16. n. 54. Garc. cit. c. 2. n. 8. Azor. p. 2. l. 6. c. 28. q. 17. juxta Trident. sess. 7. c. 4. id absolute inhi. bens. Quia per talem unionem non Ecclesiis, sed personis provideretur, & quia nomine solum est unio, reipsa verò quædam juris relaxatio. Barbof. Castrop. ll. cit. Et ne, ut ait Gonz. sub prætextu hujusmodi unionum plura incompatibilia simul remitti possint.

Quæstio 902. An igitur Episcopus unire possit devoluta ad Sedem Apostolicam, aut alias ei reservata vel affecta; cum hæc non proprie sint exempta à jurisdictione Episcopali, & tamen eorum provisio privative competat Papæ?

1. Respondeo ad primum, posse Episcopum beneficia devoluta ad Sedem Apostolicam unire, etiam postquam casus devolutionis contigit; non quidem, ut unio mox habeat effectum suum, sed ut is suspendatur pro tempore provisio à Papa, seu usque dum beneficium devolutum, collatum alicui à Papa, denuo vacet. Azor. loc. cit. q. 15. Lott. l. 2. q. 24. n. 60. Castrop. loc. cit. n. 3. Garc. loc. cit. n. 91. & qui ab his citantur Socin. senior in c. sicut unire. n. 67. Selv. de benef. p. 3. q. 1. n. 26. Zerol. in pr. Ep. v. unio. §. 8. Sanch. l. 7. in decalog. c. 29. n. 149 & plurimi alii. Contra Ventrigl. loc. cit. n. 31. absolute tenentem, Episcopum nullo modo, & nullo casu posse unire devoluta, postquam factus est casus devolutionis, non secus, ac communiter tenent AA; non posse Episcopum ullo modo unire reservata, postquam casus reservationis & affectionis actu contigit. Verum ratio nostræ responsionis est efficax, siquidem devolutio solum præstat, ut beneficia devoluta pro illa solum vice à Papa solo conferantur, non impedit autem Episcopum, quo minus is de iis disponat, dispositione provisionem Papalem non impediens; qualiter unio de iis facta, dum non sortitur effectum, priusquam beneficium illud, à Papa collatum denuo vacet, non impedit provisionem papalem. Atque ita salvato, & non læso per eam jure hoc devoluta, non est in fraudem, qualiter esset in fraudem, & tolleretur jus Papæ quæsitum, si mox ac facta sortiretur effectum suum, & provisionem Papalem impeditur. Castrop. & Lott. ll. cit.

2. Limitanda tamen eadem responsio, ut procedat solum in beneficiis devolutis ob negligentiam, ignorantiam, vel absentiam prædecessorum; secus, si ob propriam Episcopi unientis negligentiam devoluta fuerint; eò quod in penam propria negligentia, videatur non solum provisio, sed qualibet beneficii dispositio interdicti, ne videatur talis Episcopus negligens unionem provisionem sibi interdictam compensare. Castrop. loc. cit. n. 4. citans Rebuff. in pr. cit. de devolut. n. 31. Zerol. ubi ante. Barbof. de pot. Episc. alleg. 66. n. 16. Et sic intelligendi ex hac limitatione loqui, qui negant, posse Episcopum unire devoluta, ut Selv. Rebuff. apud Ventrigl. & in specie Corrad. pr. benef. l. 4. c. 8. n. 41. ubi sic habet: si Episcopus fuerit negligens in conferendo beneficium, quod proinde devolvatur ad Papam, non poterit idem Episcopus prædictum beneficium unire seminario, vel parochia, aut Cathedralibus vel Collegiatis.

3. Respondeo ad secundum primò: Reservata reservatione perpetua, seu ut inquit Cardin. de Luca de benef. d. 7. n. 5. reservatione seu affectione personali vel reali, firmâ, continuâ & invariabili, ut sunt primæ dignitates post Pontificalem, beneficia familiarium, collectorum, subcollectorum, militum & officialium Curia, &c. Ordinarius unire nequit. Garc. cit. c. 2. n. 92. & 106. Ventrigl. To. 2. annot. §. 1. n. 30. Castrop. cit. §. 2. n. 5. citans Hojed. de incompat. p. 2. c. 3. n. 7. Sanch. in decalog. l. 7. c. 29. n. 150. Hæc enim reservatio, cum nunquam consumatur, semper impediret unionis effectum, ac consequenter ea fieret inutiliter. Castrop.

4. Respondeo ad secundum secundò: reservata non perpetua, sed tantum ratione temporis, vel etiam loci, seu quia vacant in tali mense, vel in tali loco, v. g. in curia, sive, ut ait Card. de Luca, loc. cit. reservatione discontinuâ, incertâ, & eventuali, unire potest Episcopus antequam vacent, seu antequam actu reservata sunt. Castrop. Card. de Luca, Ventrigl. ll. cit. Garc. loc. cit. n. 102. recitatis binis super hoc S. Congregat. declarationibus, unâ super c. 18. sess. 23. altera super r. 15. sess. 24. quarum utraque expresse ait, validas esse reservatorum uniones, modo factæ sint ante ipsorum vacationem. Idque ob rationem bonæ fidei, sive ob absentiam præsumptionis fraudis, dum Ordinarius uniens incertus, an vacatio in suo, an in mense papali secutura sit, Card. de Luca, loc. cit. juxta dicta à nobis in respons. ad primum. Dumque unio sic facta est, servata formâ à Trident. præscriptâ, & dein vacat beneficium in mense reservato, vel etiam in Curia, unio valebit, & suum sortietur effectum Corrad. l. 2. c. 15. n. 66. & unionis effectus non suspenditur, nisi aliter per Papam fuerit unioni derogatum, Ventrigl. loc. cit. Quod ipsum tamen non sic intelligendum, quasi unio jam facta impediret reservationem, seu quò minus tale beneficium post unionem de eo factam vacans in mense papali spectet ad solam Papæ provisionem. Siquidem Trid. dum decernit, ut non possit suspendi, vel impedi unio ex quavis reservatione vel affectione, id est referendum ad effectuationem unionis ipsius, ita ut, licet beneficium sit reservatum, unio tamen non impediatur fortiri suum esse, seu perfectionem, quam Trid. cit. c. 15. vocat effectum, pro ut in jure effectus opponitur actu frustratorio & perperam gesto: non verò est referendum ad executionem (longè enim diversa sunt unionis effectuatio, quæ in ejus perfectione & essentia consumitur, & executio unionis; sicut aliud est perfectio emptionis & venditionis, qua

qua mox, ut conventum de pretio, inducta censetur, & aliud est illius executio, quae non nisi traditione consumitur. Lott. loc. cit. n. 191. & 192.) alias enim ex facto inferioris, nempe unentis solveretur & reservatio & auctoritas Papa reservantis. Unde jam sequitur, ut expresse ait Lott. loc. cit. n. 200. ut facta unione in vim & executionem Concilii de beneficio reservato ante vacationem, ipsa unio quo ad substantiam sui intelligatur omnem effectum sortita, ejus tamen executio dilata, donec consumpta sit reservatio, non obstante jam facta unione, quia unio illa non consumpsit vacationem; licet enim sit in esse deducta unio, & per consequens videatur eo momento, quo Rector obiit, beneficium unitum effectum praedium alterius, & inde impedita vacatio; id tamen intelligitur non nisi, ubi executioni est demandata per traditionem, ex qua duntaxat proprietas transfertur.

5. Respondeo ad secundum tertio: Potest quoque Episcopus unire reservata non perpetuo post eorum vacationem, seu postquam casus reservationis actu contingit. v. g. dum jam actu vacat beneficium in mente Papali; ita tamen, ut unio effectum non sortiarur (intellige quo ad executionem, juxta dicta paulo ante) donec reservatio cesset, seu consumpta sit; non secus ac dictum de beneficiis devolutis ob eandem omnino rationem. Castrop. loc. cit. Idem tenet Lott. l. 1. q. 28. n. 201. ubi ait: unio de beneficio reservato & vacante, sive reservatio praecesserit, sive vacationi incidit, tenet quidem; sed in aditio suspensa remanet, ita ut si ea fiat, sit nulla, tanquam attentata in contemptum Papae, cui est aperta ipsa vacatio. Quin etiam expressis verbis tradit Lott. l. 1. q. 29. n. 42. posse Ordinarium unire reservata, sive unio fiat ante reservationem, sive fiat post, ubi Papa simpliciter reservavit sibi collationem beneficium; eo quod reservatio non tangat aliud, quam collationem, quae sicut non impedit beneficium uniri, ita nec impedit unio collationem fieri; cum beneficium possit esse eodem tempore & collatum sine praedictio unionis, & unitum sine praedictio collationis. Et hinc hoc casu tenet unio, sed suspenditur ejus effectus, donec reservatio consumatur; citat pro hoc quam plurimos. Idem tenet Garc. loc. cit. n. 105. ubi postquam plures S. Congregat. declarationes praemisisset, quibus dicitur, uniones reservatorum factas post vacationem, seu postquam jam reservatio actu intravit, beneficio in tali mense vacante esse nullas, subjungit: haec declarationes intelliguntur, ut possit Episcopus unire beneficia, reservata etiam post vacationem, quando vacancia in suo mense, & ad suam collationem spectantia ipse prius univit. (in vim nempe Decreti Trid. c. 5. sess. 21. & c. 18. sess. 23. c. 15. sess. 24.) tunc enim cessat omnis fraus, & ratio harum declarationum; ut pote qua procedunt, quando Episcopus prius non univisset vacancia ad suam collationem spectantia, tunc enim ad evitandam fraudem negatur illi facultas univendi beneficia reservata post eorum vacationem. Neque contrarium censet Gonz. cit. §. 7. n. 136. ubi ait: reservata per regulam 8. seu mensum uniri non possunt ab Ordinario, aut alio inferiore Papae, etiam in casibus alias permissis, nec ante, nec post vacationem; cum inferiores habeant manus ligatas; quia manifeste ostendit se loqui de unione sortiente effectum quod ad executionem seu impediende reservationem, dum in continente addit: quia scire non possunt, quod minus reservatio effectum habeat. Quin & expresse reservationem nostram docet, adjectis hisce verbis: si vero facta fuerit unio de tali beneficio reservato, non

erit nulla, sed valebit à principio; effectus tamen ejus suspenditur, donec provisus à Papa de beneficio reservato cedat in mense reservato, vel decedat in mense ordinario. Eadem verbotenus ex Gonz. ex scripta habet Corrad. pr. benef. l. 4. c. 8. n. 39. Contrarium tamen, nempe non posse fieri unionem ab Episcopo post reservationem jam actu efficientem beneficium, tenet absolute Ventrigl. loc. cit. Item Card. de Luca de benef. d. 19. n. 4. ubi; quod Trid. concedit Ordinarium facultatem univendi reservata, id intelligitur de reservatione discontinua & eventuali, quae potest contingere, & non contingere, ut est illa ratione mensurata, quam tamen casus contingat, vel imminet; secus est etiam de hac reservatione discontinua & eventuali, cuius casus jam evenit vel imminet, &c.

6. Limitanda tamen nostra responsio ita, ut non procedat, ubi decretum reservationis non est simplex, sed in super facultatem etiam univendi explicitè vel implicitè ab inferioribus auferit Lott. loc. cit. n. 203. Castrop. loc. cit. ubi ait, hanc opponendam limitationem, ne reservatio sub verbis aded generalibus fiat, ut censetur Papa quamlibet beneficium dispositionem sibi reservare, ut si dicat: tale beneficium nostra dispositioni Ordinariorum reservamus, hoc enim reservatione censetur, non solum beneficium collationem, sed quamlibet de illo dispositionem (adeoque & unionem) aliis interdicere &c. citat pro hoc Abb. in c. sicut unire, de excess. Pralator. Alex. de Nevo. ibid. in addit. Sanch. ubi ante. Eadem repetit Lott. l. 1. q. 29. n. 43. ubi: quando Papa non simpliciter reservavit collationem, sed quamlibet aliam dispositionem, illam expresse auferendo ab Ordinariorum, sane casu non potest Ordinarium unire; quia cum appellatione dispositionis veniat etiam unio, propter generalitatem vocis hujus; de qua Gonz. gl. 20. n. 1. non potest inferior à Papa illud attentare. Illud etiam hic notandum cum Gonz. loc. cit. n. 140. quod quando beneficium est reservatum ratione mensis, si post vacationem in mense apostolico unitur alteri beneficio, non in perpetuum (intellige, non tantum ab Ordinario, ubi forte ad hoc haberet specialem facultatem, sed & ab ipso Papa) cum talis unio non faciat cessare reservationem, sed finita illa temporali unione semper duret vinculum reservationis, & vacabit beneficium ut prius, & provisio spectabit ad Papam, & non ad Ordinarium, et hinc cessaverit in mense ordinario, per obitum illius, ad cuius vitam fuerat facta. Pro quo citat Gamb. de off. leg. §. 2. n. 135. & 245. Caputaq. decis. 343. per tot. Simonet. de reserv. juncta addit. q. 43. n. 3. Et rationem subjicit Gonz. n. 141. quia effectus reservationis non tollitur, nisi per solam Papae provisionem, ut Simonet. loc. cit. q. 55. & seq. Castad. decis. 9. n. 3. de praeb. unio autem ad vitam non sit provisio, nec expiratio reservationis, sed faciat solum dormire reservationem ad tempus, ut habet Gonz. n. 142. & 143. ubi etiam ex Castad. decis. §. n. 13. de privileg. ait, quod unio ad vitam non facit Pralatum.

Questio 903. An potestas univendi competat Episcopo privative ad alios eo inferiores?

1. Respondeo affirmative. Ventrigl. l. 2. n. 2. §. 1. n. 2. Lott. l. 1. q. 28. n. 111. ubi dicitur: effectus unionis est auctoritas Papae, vel Episcopi privative, ad omnes alios inferiores Pralatos, argumento s. sicut unire, de excess. Pralator. ubi dicitur: sicut unire Episcopus atque subicere potestati alteri ad summum Pontificem pertinere dignoscitur, ita Episcopi est Ecclesiarum duntaxat

diaceps unio & subiectio earundem, &c. Atque ita facultas uniendo est unus ex casibus reservatis Episcopo, & denegatis inferioribus Prælati, etiam si ad eos pleno jure Ecclesiæ spectent. Ventrigl. loc. cit. l. c. n. 12. citans Abb. in c. sicut unire. n. 2. Jo. And. ibid. n. 2. Butrio n. 4. Card. Paris. conf. 36. n. 8. 14.

2. Limitandum tamen hoc ipsum primò: Ita ut etiam Prælati inferioribus competat facultas uniendo, si habeant jurisdictionem quasi Episcopalem. Garc. p. 12. c. 2. n. 72. Castrop. cit. §. 2. n. 18. Ventrigl. loc. cit. n. 13. citans Abb. ubi ante n. 3. Caccialup. r. de union. a. 9. n. 20. & 21. Tholof. de benef. c. 20. n. 7. Horum omnium rationem subjungit Lott. n. 115. nempe quòd, sicuti soli Papa, vel Episcopo, aut Prælati habenti jurisdictionem quasi Episcopalem concessa est facultas instituendi beneficia, ita is sòlis liceat ea accessorie unire; cum per eam unionem extinguatur beneficium.

3. Limitandum secundò: ut licet præscindendo à dicta jurisdictione quasi Episcopali nullus inferior Episcopo habere possit hanc potestatem de jure communi, neque prætextu exemptionis; neque, ut dictum, titulo subjectionis pleno jure, possit tamen habere illam titulo speciali, puta ex privilegio apostolico. Lott. cit. q. 28. n. 134. citans Rodriq. qq. regul. To. 3. q. 80. a. 1. eòque vel vero, vel præsumpto ex immemoriali. Lott. l. cit. n. 135. citans gl. in Clem. 1. §. ad hec. v. ordinarios, de statu Monachor. Item habere eam facultatem possit ex præscriptione, nempe quadragenaria cum titulo; cum eam ea non sit Ordinis, sed jurisdictionis tantùm, utique est præscriptibilis. Lott. n. 136. juxta eandem Gl. loc. cit. Castrop. loc. cit. Ventrigl. loc. cit. n. 4. Garc. l. cit. n. 73. subjungens pro binis hæc limitationibus hanc S. Congregat. declarationem super c. 13. sess. 24. quæ sic habet: *etiamque unionem facere posse Abbatem, si sibi hanc facultatem uniendo legitime præscripsit, aut ex privilegio in Ecclesia sibi pleno jure subiecta jurisdictionem quasi Episcopalem habet in omnibus, & per omnia &c.* Quia autem capitulum Cathedralis & Vicarius Episcopi habere videri potest jurisdictionem quasi Episcopalem, aut etiam Episcopalem, de his specialiter queretur infra. De cetero hujus juris seu potestatis nulla admittitur illatio aut extensio, ut si tali alicui prælati inferiori concessa esset, vel etiam ab eo præscripta fuisset facultas instituendi beneficia, ex ea inferri non possit potestas beneficia uniendo, vel è contra, Lott. à n. 137.

Questio 904. An Metropolitanus possit unire Ecclesias, & beneficia diocesum suorum suffraganeorum?

1. Respondeo negativè; Eò quod nihil in his diocesis possit, seu nihil jurisdictionis habet, quàm quòd à jure expressum illi conceditur; inter quæ à jure ei commissæ non est unio beneficiorum spectans ad jurisdictionem Episcopi suffraganei ordinariam. Ventrigl. l. cit. n. 5. Azor. p. 2. l. 6. c. 28. q. 7. Barbol. juris Eccles. l. 3. c. 16. n. 58. Castrop. de benef. d. 6. p. 12. §. 2. n. 17. citantes Rebuff. in pr. tit. de unionibus n. 29. & 30. Sanch. in decalog. l. 7. c. 29. n. 156. &c. argumento c. sicut unire. ubi assensus vel confirmatio Metropolitanæ de unione beneficiorum suffraganei sui nullius reputatur considerationis.

2. Limitat tamen responsionem Ventrigl. l. cit. n. 6. ut Metropolitanus id possit ex causa legitima, quæ potest in hoc casu intercedere, dum nimirum

P. Lauren, Fori Benef. Tom. III.

Episcopus (quem ait stante justâ causâ teneri unire, citato pro hoc Riccio in pr. p. 1. resol. 385. in fine. Archid. Mandos.) legitime interpellatus negat unionem, gravat, & sic parat viam justam appellationi, quo casu, cum proprium sit appellationis, suspendere & devolvere negotium, Metropolitanus possit validè unire beneficia diocesis suffraganei.

Questio 905. Quid possit Legatus Pontificus circa uniones beneficiorum?

1. Respondeo primò; Potest Legatus à latere unire beneficia provincie suæ ex causa justa & legitima; quia in Provincia sibi demandata est Ordinarius, & jurisdictionem ordinariam, non secus ac Episcopus in sua Diocesi, imò majorem habet, quàm Episcopus, vel alius Ordinarius. Tond. qq. benef. p. 3. c. 200. n. 16. (qui etiam p. 3. c. 126. n. 13. ait, possit legatus faciendo unionem derogare jurisdictioni Ecclesiæ, non adhibito patroni consensu, uti idem tradit Barbo. juris Eccles. l. 3. c. 16. n. 50.) Lott. l. 1. q. 28. n. 116. & 117. Ventrigl. cit. §. 1. n. 7. citans Barbol. ubi ante l. 1. c. 6. de legat. n. 55. Azor. loc. cit. q. 8. Garc. cit. c. 2. n. 65. citans Abb. in c. sicut unire. n. 5. & 6. Rebuff. in pr. tit. de union. n. 24. Gamb. de pot. leg. l. 5. n. 40. Per. de Perus. r. de union. c. 4. n. 3. & c. Castrop. cit. §. 2. n. 15. citans in super Sanch. in decalog. l. 7. c. 29. n. 158. Riccium & c. Quæ in contrarium opponi possent, vide diluta apud Castrop. l. cit. n. 16. Addit Garc. limitationis aliquid; quòd unire possit omnia, quæ conferre potest. Sed immeritò, quia & Episcopus unire potest, quæ conferre non potest, ut dictum paulò supra, puta, reservata, vel spectantia ad collationem inferiorum, requisito tamen eorum consensu. Sed neque Legatus à latere facere potest uniones ad tempus, seu ad vitam tantùm, nisi ad hoc habeat à Papa specialem facultatem. Garc. l. cit. n. 83. ex Gamb. l. cit. l. 5. n. 127.

2. Respondeo secundò: Legati ceteri, ex quo conferre non possunt beneficia, ea etiam unire non possunt. Garc. l. cit. n. 66. Castrop. l. cit. n. 16. citans Sanch. ubi ante; quæ tamen consequentia, quòd, qui conferre non potest beneficia, etiam unire non possit beneficia, tradita à Garc. l. cit. cum Caccialup. de union. a. 3. n. 12. & 14. sic intelligenda videntur: quòd, qui de jure ordinario, de quo competit Episcopo conferre omnia beneficia suæ Diocesis, conferre nequit, nequeat etiam unire beneficia, nam eo ipso jam destitutus est potestate & jurisdictione Episcopali, & quasi Episcopali.

Questio 906. Quid possit quò ad uniones has Vicarius generalis Episcopi?

1. Respondeo: ex vi Vicariatus, & sine speciali mandato, seu commissione Episcopi non potest unire beneficia. Azor. p. 2. l. 6. c. 28. q. 10. Ventrigl. l. cit. n. 10. dicens esse magis communem. Barbol. juris Eccles. l. 3. c. 16. n. 56. Castrop. cit. §. 2. n. 9. Garc. l. c. n. 69. Laym. in c. cum in generali. de off. Vicar. in 6. citantes Sbrozium de vicar. Epis. l. 2. q. 115. à n. 2. & q. 116. n. 1. Rebuff. in pr. tit. de union. n. 37. Sanch. in decalog. l. 7. c. 29. n. 123. contra Mohed. decis. 3. de off. vicar. Garb. conf. 300. n. 3. l. 1. quibuscum sentire videntur Lott. l. 1. q. 28. à n. 125. his motus rationibus, quòd unire beneficia sit jurisdictionis ordinariæ, & quidem contentiosæ; cum actus unionis subsistente causâ exerceatur etiam in iurium; omnia

o o

autepa

autem, quæ sunt jurisdictionis ordinariæ, transeant in Vicarium generalem, ut Felin. in *in v. can. de v. script. n. 17.* & Sbroz. de *Vicar. l. 2. q. 52. n. 2.* Et licet foret jurisdictionis voluntariæ (eod quod impediri possit extrajudicialiter, nec attendatur contingentiã contradiccionis, & quod hinc consequitur, expeditio actus unionis in invicem, ut in simili videmus manumissionem exerceri quandoque in invitum. *L. ult. §. sui autem. & §. licet enim. 6. de testam. man.*) conferri nihilominus, Vicarium ex generali deputacione consequi etiam exercitium voluntariæ jurisdictionis, ut Mohed. *loc. cit. Felin. n. 6. ex parte, de constit. col. ult.* quod tamen ultimum negant alii cum Milis. in *repertor. v. vicarius Episcopi.* quodque etiam, ut ait Lott. n. 131. facile diluatur ab A. A. nostra sententiã opponitur, nempe, quod unire beneficia reputetur inter ardua, ad hæc autem vicarius egeat speciali Mandato, dicendo univrsim, quod ista arduitas non consistat in alio, quam in excutiendo causam & illius iustitiam; hæc autem excusã & apparente iustã factum unionis non reputari arduum; cum jus eam permittat, ac propterea nihil sit, quin veniat in generali mandato, prout in simili dicitur de cognitione causa matrimonialis, quæ procul dubio à Vicario generali, ex Mandato generali cognosci potest, ut Sbroz. de *off. Vicar. l. 2. q. 43. n. 2.* & Cuchus *institur. l. 1. tit. 6. n. 123.* & tamen reputetur inter ardua, ut Menoch. de *arb. cas. 205. n. 7. juxta c. 1. de procurat. in 6.* Ex quibus etiam dilui posse videtur illud, quod insuper nostra responsionis A. A. asserunt; nempe quod Vicarius sine speciali mandato non possit conferre beneficia, adeoque multo minus possit unire, utpote quod majus est, quam conferre, ut dictum alias non est propriè jurisdictionis Episcopalis, sed distincta alicujus potestatis de jure communi Episcopo competentis; à quã, etsi minori, ad potestatem jurisdictionis arguere non liceat.

2. Porro extenditur nostra responsio, ut Vicarius adhuc non possit unire beneficia, etiam si ei concessa facultas conferendi beneficia, cum clausula etiam generali, & omnia requirentia speciale Mandatum, Garc. *l. cit. citans Caccialup. de union. a. 3. q. 8. n. 21.* Pet. de Perul. *ead. tit. c. 4. n. 32.* Card. Paris. *conf. 40. l. 4. c. 1.* Castrop. Azor. *l. cit.* & quos citat Lott. *l. cit. n. 124.* Rebuff. in *pr. tit. de form. Vicar. n. 102.* Hojed. de *incomp. p. 2. c. 3. n. 7.* & c. eod quod sub potestate conferendi non conferatur potestas conjungendi, utpote longè major; cum unio facti nequeat sine consensu capituli, & naturam beneficii immuret, adeoque nec comprehendatur ex vi dictæ clausulæ generalis; quia hæc solum extenditur ad similia, non verò ad majora expressis, juxta c. *qui ad agendum, de Procurat. in 6.* Castrop. Garc. *l. cit. contra Gamb. de pot. leg. l. 5. rub. 1. n. 115.* ad ista potestate conferendi ei concessa arguentem ad potestatem univrsim; eod quod conferre voluntatis sit, unire necessitatis.

Questio 907. Quid circa univrsim beneficia possit Coadjutor Episcopi.

Respondeo: Excepto casu, quo datus esset ob imbecillitatem mentis coadjuti, non habet hæc potestatem univrsim, Cardin. de Luca. de *Paroch. d. 35. n. 100.* juxta dicta alias de potestate conferendi beneficia, & recipiendi resignationes, administrandique spiritualia. De quo vide Paris. de *resign. l. 7. q. 20. per tot. Barbof. juris Eccles. l. 3. c. 10. n. 23. & seq.*

Questio 908. Quid possit Capitulum quoad uniones beneficiorum.

1. Respondeo primò: Capitulum sede plena, et si requiratur ejus consensus ad unionem faciendam ab Episcopo, non solum unire non potest; sed neque dictum consensum præbere univrsim faciendæ ipsi capitulo directè & principaliter. Garc. *l. cit. c. 2. n. 68.* Castrop. *l. cit. §. 2. n. 1.*

2. Respondeo secundò: Sed neque capitulum sede vacante sibi unire potest beneficia. Garc. *Castrop. l. cit. Ventrigl. l. cit. §. 1. n. 8.* Barb. *juris Eccles. l. 1. c. 32. n. 99.* sic expresse decidit A. S. Congr. generalitates.

3. Respondeo tertio: potest tamen sede vacante, ut habet communior, unire aliis prius locis vel beneficiis beneficiis; siquidem potestas hæc univrsim est jurisdictionis non voluntariæ, sed necessariæ; eod quod necessitate urgente, orã ex necessitate Ecclesiæ, vel evidente ejus utilitate faciendæ sit unio, & non aliter; Capitulum autem in his, quæ spectant ad jurisdictionem necessariam (imò secundum plures etiam in his, quæ spectant ad jurisdictionem voluntariam) succedit Episcopo. Laym. in *c. cum olim. de major. & obedient. n. 11.* Ventrigl. *Castrop. Garc. l. cit. citans Rebuff. in pr. tit. de union. n. 36.* Hojed. de *incomp. p. 2. c. 3. n. 7.* Sanch. in *decal. l. 7. c. 29. n. 155.* Barbof. *ubi ante n. 98.* contra Azor. *p. 2. l. 3. c. 38. q. 9.* (ubi etiam ait, A. A. opposita sententiã loqui non de unione facta accessorie, sed a què principaliter; quia volunt, id posse Capitulum, ubi nihil decederet per talem unionem juri Episcopali, qualiter illi nihil decedat per unionem factam a què principaliter; vel etiam per factam accessorie de beneficiis spectantibus alias ad collationem solius Capituli; decedat autem per factam accessorie de beneficiis spectantibus ad collationem Episcopi; in quo tamen fallitur Azor; qui etsi aliqui eorum id velint, non tamen omnes, ut manifestum est ex Castrop. cum beneficium sic univrsim extinguatur, adeoque subtrahatur imposterum collationi Episcopali) & idem cum Azor (qui tamen *p. 2. l. 6. c. 28. q. 9.* expressissime docet contrarium, seu nostram responsionem) a què probabiliter tenentes contrarium. Pavin. de *pot. capit. sed. vac. p. 2. q. 3. n. 17.* Lott. *l. 1. q. 28. n. 141.* eã potissimum ducti ratione, ut Lott. quod, etsi unire sit jurisdictionis, & jurisdictionis transeat ad capitulum, unire tamen sit de reservatis Episcopo, ut dictum supra, implicetque alienationem & extinctionem tituli, quæ sede vacante in specie est capitulo prohibita ex *c. 1. c. 17. de ne sede vac. ad* cujus tamen rationis primam partem rectè responderet Ventrigl. *loc. cit. n. 9.* id, quod unire sit proprium Episcoporum, solum dicit ad exclusionem Prælatorum inferiorum, non habentium jurisdictionem Episcopalem, quod dici non potest de capitulo, dum succedit in integram jurisdictionem Episcopi. Ad illud etiam, quod pro hac sententiã negativa adduci solet, quod nimirum talis unio facta per Capitulum cedat in præjudicium juris Episcopi, cum hac viã subtrahatur beneficia sic univrsim ejus collationi; respondet Castrop. *loc. cit. n. 14.* negando, creati per hoc præjudicium aliquid esse diminutionem juris Episcopalis, utpote quod univrsim in eo consistit, ut possit omnia beneficia sibi subiecta, quamdiu ea naturam beneficii retinent, providere, quæ potestas per hoc non immuetur, quod hæc beneficia vi iustis unionis extinguantur.

PARAGRAPHVS III.

An, & qua de causa, & qualiter
facienda unio beneficiorum.

Questio 909. An, & qualiter unio, ut va-
leat, requirat causam.

Respondeo: Requisitum principale ad vali-
dam unionem est causa iusta. Ventrigl. To. 2.
annos. 8. §. 2. n. 21. Carol. Anton. de Luca in observat.
ad Ventrigl. loc. cit. §. 1. n. 5. ubi: ad validitatem unionis
copulative requiruntur & causa & solennitas. Lott. l. 1.
q. 28. n. 142. Quodque, cum requiratur causa & so-
lennitas, si aliquid ex his deficiat, unio nihil opere-
tur, ac proinde unio in tali casu non debeat servari
per successorem, ait Corrad. pr. benef. l. 2. c. 15. n. 76.
ex Oldr. cons. 262. de reb. Eccl. non alien. Et unio facta
per Ordinarium sine causa, etsi de cetero servata
sit forma juris, est ipso jure nulla. Ventrigl. loc. cit. n.
24. Corrad. loc. cit. n. 75. Garc. p. 12. c. 2. n. 13. citans c.
expofitiffi. de prob. & ibi. Abb. & Imol. Oldr. ubi ante
Mandof. ad reg. de union. revoc. q. 6. n. 3. Hojed. & c.
Item facta ex causa quidem, sed falsa est ipso jure
nulla. Garc. loc. cit. & citati ab eo. Ventrigl. cit. §. 2.
n. 25. citans Novarin. singul. concl. tit. de union. concl. 2.
alias. 124. Lott. loc. cit. n. 47. citans Milis. in repertor.
v. unio facta ex fals. caus. ad finem. Cassad. decis. 8. n. 6. de
concess. prob. Ferret. cons. 23. n. 44. contra Barbof. juris
Eccl. l. 3. c. 16. n. 52. Azor. p. 2. l. 6. c. 28. q. 14. Item
contra Rebuff. in pr. ad reg. de union. revoc. gl. 5. & 9.
Mascard. de probis. concl. 1419. & alios, apud Garc. n.
114. Item contra Rotam decis. 2. de reb. Eccl. non alien.
in antip. & alibi. ut videre est apud Garc. (quam ta-
men variasse in hoc puncto, ait Lott.) qui omnes
sentunt, unionem in hoc casu non esse nullam ipso
jure, sed mero jure valere, & sustineri usque ad sen-
tentiam, per quam declaranda nulla, & rescinden-
da. Sententiam nostram confirmant Lott. & Ven-
trigl. exemplo rei minoris, quæ etsi decreto Judi-
cis fuerit alienata, si dein constet fuisse alienatam
ex falsa causa, non obstante decreto, alienatio est
nulla, in tantum, ut res non censetur exisse & do-
minitio minoris. l. magis. §. ult. ff. de reb. cor.

2. Quin & unio facta ex falsa causa à Sede Apo-
stolica est nulla ipso jure. Ventrigl. l. cit. n. 25. in fine.
citans Barbof. ubi ante. ac dicens, non esse in hoc
controverfiam inter A. A. Garc. n. 115. citans Mas-
card. Rebuff. Cassad. Milis. ubi ante. & cum his
Corrad. l. cit. n. 78. eod. quod, ut semper tenuit & ob-
servavit Rota, in rescriptis unionum à Papa ema-
natis semper subintelligatur clausula: si cause vera
sunt. Corrad. ibid. n. 79. citans Rotam in suis practica-
bilibus. adjectis in calice. p. 2. divers. tit. de union. n. 6. Quod
ipsum procedere, etiam unio sit facta motu pro-
prio, & Papa causas unioni inseruit, tradit Corrad.
l. cit. n. 81. ex Garc. l. cit. n. 116. citante pro hoc So-
cin. sca. cons. 1. n. 7. vol. 3. Felin. in c. ad aures. de rescrip.
n. 9. Straph. de citi. gra. lit. de vi & effect. clausular. de
claus. motu proprio vers. 7. n. 5. Selv. p. 3. q. 12. n. 3. Man-
dof. ad reg. 22. q. 2. n. 3. & c. eod. quod, cum hæc causa
sint de facto alieno, possint redargui de falso. Cor-
rad. cit. n. 81. Et sic subreptio vitiat ipso jure unio-
nem factam à Papa. Garc. n. 117. citans Abb. cons.
101. p. 1. Felin. in c. postulat. n. 3. Rebuff. ubi ante. &
plures Rota declarationes, quas ad fsum recitat,
quin & Trid. sess. 7. c. 6. ubi cavetur, & uniones per-
petuæ à 40. annis factæ examinari possint ab Ord-

P. Leuen. Fort. Bensf. Tom. III.

nariis tanquam à Sede Apostolica delegatis, & quæ
per subreptionem vel obreptionem obtenta fue-
rint irrita declarentur.

Questio 910. An, & qualiter causa unio-
nis presumantur existere, & esse vera.

Respondeo primò: quamvis uniones regula-
riter debere presumi factæ ex iusta causa,
dicat Corrad. pr. benef. l. 2. c. 15. n. 4. Quam-
vis etiam, ut habet idem Corrad. l. 2. c. 3. n. 93. Papa,
utpote solutus legibus humanis, & absolutissime
habeat disponendi potestatem, pro libitu suo uni-
re possit beneficia qualibet, non tamen presumat-
ur id velle; cum presumatur potius uti jure ac ra-
tione; & ex iustis causis moveri, ut Card. Paris. cons.
41. n. 127. vol. 1. Decius cons. 4. n. 7. Ruin. cons. 60. an-
te n. 5. vol. 5. quos citat Corrad. Nihilominus causa
unionis non presumitur una, etsi Episcopus vel
Legatus unionis de ea attestet in unione. Card. de
Luca, ad Trid. d. 8. n. 13. Ventrigl. cit. §. 2. n. 26. Garc.
cit. c. 2. n. 120. citans Oldr. cons. 261. de reb. Eccl. Capu-
ta q. decis. 350. n. 30. p. 3. & Practicabilia Rota ubi an-
te. contra Rebuff. in pr. tit. de union. revoc. n. 10. quem
videri velle, ait Garc. quod sit credendum Episco-
po vel alteri facienti mentionem de causa unionis,
si exprimitur. Unde jam etiam juvans se unione in
hoc casu, etiam expressæ ab uniente causa unionis,
renebitur causam illam probare. Garc. cit. n. 120.
multòque igitur minus presumitur causa vera in-
tervenisse, ubi nulla ab uniente fieret ejus mentio.

2. Limitanda tamen sunt hæc primò, ut Episco-
po unienti, id asserenti non credatur, nisi temporis
antiquitas juncta cum observantia justificationis
causæ ac solennitatis presumptionem inducat,
Card. de Luca, l. cit.

3. Limitanda secundò: Nisi Episcopus vel Le-
gatus, aliiive uniens allegans causas, simul enun-
ciet, se earum adhibuisse cognitionem, & reperisse
veras; tunc enim standum ejus assertioni, & præ-
sumendum est pro unione, donec contrarium pro-
betur. Barbof. juris. Eccl. l. 3. c. 16. n. 51. Ventrigl. cit. n.
26. citans Novarin. singul. concl. tit. de union. concl. 2.
alias. 124. n. 4. Garc. l. cit. n. 121. Idque etiam si pro-
cessisset parte non vocatâ, quia fortè nullus tunc
aderat, qui vocari debebat. Barb. l. cit. Garc. cit. n.
121. citans Casar. de Grass. decis. 132. n. 16. tamen, ut
Garc. n. 122. Practicabilia Rota loc. ante cit. cum
Cald. cons. 4. de reb. Eccl. non. dicant, quod, si in-
strumento unionis dicatur per Ordinarium; habito
prius speciali tractatu & consilio cum multis canonicis,
& cum auctoritate & consensu canonicorum & præ-
positi & c. adhuc ista verba non probent tractatum
precedentem. Item Roman. in l. sciendam. n. 36. ff. de
verbor. oblig. Rebuff. in concord. rub. concil. Lateran. il-
lacione 2. 3. 4. alique apud Garc. n. 132. velint, non
stari assertioni, etiam Judicis seu Prælati, qui non
possit facere actus sine cognitione causæ & solen-
nitare, si dicat, se adhibuisse causæ cognitionem, &
debeas solennitates etiam in specie; sed debere
aliàs de eo apparere ex alia scriptura separata, quo-
rum sententiam in jure esse veriores, dicit Alcia-
tus de presump. reg. 3. presump. 10. n. 3. & 4. & Simon-
cella de decretis. l. 3. tit. 7. n. 42. dicit de jure certifi-
simam, quamvis de consuetudine dicat, presumi
pro decreto in quo enunciantur solennitates in ge-
nere. Rationem hujus limitationis hanc dat Garc.
n. 123. 124. 125. quod, licet aliàs regulariter non
presumatur solennitas extrinseca, etiam enunciata

in instrumento, quæ tempore actûs verifimiliter intervenire non poterit, ut Felin. in c. sicut. de re judic. n. 26. & 27. Mascard. de probat. concl. 1321. n. 1. Menoch. de præsump. l. 3. præsump. 132. à n. 28. parte nimirum opponente, ut Felin. loc. cit. n. 28. Menoch. loc. cit. n. 35. Mascard. n. 19. apud Garc. tamen pro decreto vel actu Judicis, in quo enunciatur solemnitates, præsumatur, quod omnia solemniter sint acta, nisi contrarium probetur, c. in præsentia. de renunc. l. etsi præses. c. de prædiis minorum. Felin. in c. quoniam contra. n. 37. & Decius ibid. n. 187. Menoch. de præsump. l. 2. præsump. 75. n. 12. Mascard. loc. cit. n. 31. quos textus & AA. cum plurimis aliis citat Garc. cit. n. 125.

4. Sublimitat tamen eandem limitationem secundam Garc. n. 126. quod ea intelligatur, quando causa & solemnitates requisitæ nominatim & in specie exprimuntur: secus, si in genere, pro quo citat Paril. conf. 12. n. 58. vol. 2. Menoch. de præsump. l. 2. præsump. 75. n. 22. Oldr. conf. 262. n. 4. Practicab. Rotæ ubi ante, & plures alios contra Aymon. de antiq. tempor. p. 1. section. queritur. n. 9. & 14. Baldû & Paul. in l. cum hi. §. si prator. ff. de transact. n. 2. & alios apud Garc. n. 127. & 128. tenentes quod præsumatur etiam pro decreto, etiam in genere exprimantur solemnitates, dicendo in communi: *causa cognita*, vel *juris solemnitate servata*. Quas tamen sententias ita conciliat Garc. n. 130. ut prior procedat, quando solemnitates enumerantur à Tabellione seu Notario in instrumento decreti; eò quod aliàs Notarius videretur scripsisse ut Judex, & non ut testis. Secunda procedat, quando enunciatio solemnitatum fit solum in genere ab ipso Judice.

5. Sublimitat secundò n. 135. ut dicta doctrina, quod præsumatur pro decreto Judicis, in quo enunciantur solemnitates, non procedat in Executore & Judice delegato ad faciendam unionem. Pro quo citat Agid. decis. 377. & 617. & Practicab. Rotæ. loc. cit. Item Puteum decis. 144. n. 4. l. 2. qui unà cum Rota decis. 193. n. 4. p. 2. diversè. Sic distinguit regulam illam, quod præsumatur pro decreto Judicis, ut procedat in Judice ordinario generali, secus in speciali ad certum actum deputato. Contra quam secundam sublimitationem obiectum vide dilutum ab eodem Garc. à n. 136.

Quæstio 911. An præter causam justam requiratur ad valorem unionis ejusdem causa cognitio?

Respondeo affirmativè: sive ad hoc, ut unio non solum licitè, sed & validè fiat, requiri dictam cognitionem, & diligentem inquisitionem factam ab Ordinario; cum non sit aliter ei concessa potestas, quam præmissâ illâ cognitione & inquisitione. Lott. l. 1. q. 28. n. 146. Castrop. de benefic. d. 6. p. 12. §. 2. n. 20. Barbof. juris Eccles. l. 3. c. 16. n. 39. citans Sanch. in decalog. l. 7. c. 29. n. 161. Ventrigl. cit. §. 2. n. 26. Corrad. pr. benefic. l. 2. c. 15. n. 78. & c. 3. n. 99. argumento Clem. sin. de reb. Eccl. Quin & quando unio fit necessitatò, & principaliter à Pontifice, non prius is ad hujusmodi unionem procedit, quam causâ diligenter in S. Congreg. Concilii, sive Episcoporum fuerint examinata, licet aliàs posset pro libitu sine tali cognitione ad unionem procedere. Corrad. cit. c. 3. n. 91. sic etiam ait Barbof. loc. cit. si Papa unionem facit, exigitur, ut etiam de causa inquiratur in partibus, aliàs unio revocabitur. Idem ait Azor p. 2. l. 6. c. 28. q. 14. ubi: *quantvis nec*

Papa soleat Ecclesias conjungere, nisi prius Ordinarii committat, ut de causis cognoscant, & ad eum referant. Imò in Francia, ut Rebuff. Ecclesiarum conjunctiones, etiam auctoritate Apostolica facta, causâ non cognita & expressâ, minime recipiuntur, & quod in supremis regni curiis irritè judicantur, non quod Laici de causis Ecclesiasticis jure queant cognoscere & judicare; sed quod tales uniones subreptitiâ credantur. Sic, & non aliter committitur à Papa delegato seu Executori, ut si vocatis vocandis repererit, causas esse veras, faciat unionem. Garc. cit. c. 2. n. 135.

Quæstio 912. Quanam sint causæ justæ & legitime, quæ unioni faciendæ intervenire necessariò debent?

1. Respondeo primò: Causa, sine qua fieri nequit per inferiorem Papâ unio, duplex est, nempe necessitas, vel utilitas Ecclesiæ. Azor loc. cit. Lott. cit. q. 3. n. 142. Ventrigl. cit. §. 2. n. 21. Castrop. loc. cit. n. 19. Garc. loc. cit. n. 108. Barbof. loc. cit. n. 37. juxta c. exposuisti. de præb. sit ad dictas binas causas ferè revocantur ceteræ, quarum plures adducunt Gregor. de benefic. c. 20. n. 14. Per. de Perus. de union. c. 3. Fusc. de visitat. l. 2. c. 26. & c. apud Garc. n. 109.

2. Respondeo secundò: Non sufficit autem ad valorem unionis simplex necessitas vel utilitas; sed requiritur evidens ac præcisa, quæ excludatur quæcunque dubietas, juxta cit. c. exposuisti. ubi dicitur: *si evidens necessitas, vel utilitas id exigat*. Lott. n. 143. Ventrigl. loc. cit. citans Molles. in sum. tr. 6. de benefic. c. 14. n. 38. Novarin. singul. concl. cit. de union. concl. 2. n. 2. Corrad. l. 2. c. 15. n. 78. Garc. cit. n. 108. citans Rebuff. in pr. tit. de union. n. 38. Hojed. de incom. p. 2. c. 3. n. 8. Mandol. in reg. 22. q. 4. n. 4. & plures alios Cad. de Luca tamen ad Trid. d. 8. n. 13. ait, causam hanc consistere in necessitate, vel in magna utilitate; idèoque desuper certam non posse statui regulam, cuiusque casui applicabilem; cum pendeat ex facti ac singulorum casuum circumstantiis.

3. Respondeo terciò: ad necessitatem spectat, si beneficium vel Ecclesia, cui faciendæ est unio, careat sufficientibus redditibus ad alendum ministerium; sive dum duæ Ecclesiæ aut præbendæ sint ad eò tenues, ut ad victum duorum Rectorum non sufficiant. Barbof. loc. cit. n. 38. Azor. cit. q. 13. Castrop. cit. n. 19. Ventrigl. loc. cit. n. 22. Lott. l. 1. q. 29. n. 15. ubi: *regula Cancellaria de revocat. union. se non extendit ad uniones factas ex causa necessaria, puta dotacionis, vel augmenti dotis pro sustentatione cultus divini. Et paulò infra eod. n. ubi ait: quavis Rota in Totianâ l. 670. obiter dixerit, modernas regulas completè etiam uniones factas pro dote, & in augmentum cultus divini, tamen si id ad dotem necessariam, augmentumve necessarium referatur, ita ut verè unio sit facta ex causa divini cultus, id minime admittitur. Sic Trident. sess. 21. c. 5. ob paupertatem Parochialium concedit Episcopo facultatem uniendi. Quænam autem, & quando Ecclesia sit pauper aut tenuis, judicandum relinquitur judicio Superioris, seu Episcopi. Barbof. & Ventrigl. l. cit. Illud autem hic observandum ex Lott. n. 143. & Ventrigl. cit. n. 23. quod hæc causa necessitatis evitatur, & hinc regulariter faciendæ non fit unio, si Ecclesia, cui ea faciendæ, seu Rector cum iisdem redditibus se usque huc sustentavit, nisi fortè incongrua & indecens fuerit sustentatio. Ad eandem causam necessitatis, ut ob illam Ecclesia*

si aliqua uniri possit alteri reducunt, Azor loc. cit. Barbol. & ex eo Ventrigl. si Ecclesia unienda sit ab hostibus desolata vel destructa. c. 2. de religio. domib. Si alteri est vicina, & restant pauci de ejus populo, alio mortuis. c. & temporis. 16. q. 2. Item detrimentum & incommodum populi. c. ad audientiam. 2. de religio. domib. ac denique religionis deformitatem & mutationem temporum, c. 2. & c. fin. §. hostilitatis. 25. q. 1.

4. Ad utilitatem verò spectat, quando propter fructuum tenuitatem non inveniuntur Clerici idonei ad deserendum. Castrop. cit. nu. 19. Azor cit. q. 14. Ventrigl. cit. nu. 23. Barbol. loc. cit. nu. 39. citans Rebuff. de union. nu. 39. Hojed. de incomp. p. 2. c. 3. nu. 8. Ugolin. de off. Ep. c. 25. in princip. nu. 4. juxta c. exposuisti. Ubi etiam illud observandum ex Lott. loc. cit. n. 19. quòd attendendum diligenter sit ad verba unionis; an videlicet dicatur, eam fieri, quia aliàs ibi non possunt ministri commodè haberi (quo casu jam concluditur ad necessitatem, nisi fortè alius cogi possit ad dotandum, vel dotem augendam) an verò dicatur: ut ibi commodius habeantur, vel sustententur; eò quòd tò commodius præsupponat satis commodè eo usque sustentari; cum natura comparativi sit supponere positivum, & quòd, ubi unio asseritur facta pro commodiore sustentatione, jam hinc dicatur excludi causa necessitatis, & sub jaceat Regulæ revocatoria. Item augmentum cultus divini. Barb. cit. nu. 39. citans Sanch. in Decalog. l. 7. c. 29. n. 161. Castrop. loc. cit. citans c. ex parte. de Constitut. Trid. sess. 14. c. 9. Unde ait idem Castrop. cum Sanch. alitque ab eo citatis, manifestè constare, quòd ad sit sufficiens causa uniendi beneficia Conventibus religiosorum, dum eorum unione augetur cultus divinus.

Questio 913. An, & quæ præter causam legitimam requirantur solennitates ad faciendam unionem?

Respondeo pro formalitate unionis præter unum intrinsecum, quod versatur in iustitia causæ, requiruntur & aliæ solennitates extrinsecæ, non minùs tamen necessariæ ad ejus valorem. Lott. l. 1. q. 28. n. 142. juncto n. 151. Versanturque illæ circa duo, nimirum circa vocationem illorum, qui lædi possent, & circa tractatum, quo tractatur disquisitio causæ necessariæ ad unionem. Lott. loc. cit. n. 152. Qui tractatus fieri debet in Capitulo, non ob aliud, quàm arctissimam conjunctionem, quam habet Episcopus cum Capitulo suo, cum quo omnia ardua negotia debet expedire, juxta c. novit. de his, quæ sunt à Prelat. sine consensu. cap. Lott. nu. 153. Quapropter jam Legatus, etsi jure Ordinario pollet, faciat unionem, non tamen tenetur ad præmittendum hujusmodi tractatum; cum nulla illi sit communio cum Capitulo, sicut est Episcopo, & consequenter ad nullum tractatum præmittendum tenetur; cum ille tractatus alibi non debeat expediri, quàm in Capitulo. Lott. n. 154. juxta Rotam apud Egid. decis. 513. Verumtamen talem tractatum cum Capitulo non requirit, sed solum consensum illius, tenent Azor. p. 2. l. 6. c. 28. q. 12. Garc. cit. c. 2. nu. 146. citans Pavin. de pot. cap. sed. vac. p. 2. q. 3. n. 22. Rebuff. in pr. ad reg. de union. gl. ii. n. 2. Boërium, decis. 45. nu. 2. Practicabil. Rotæ c. de union. nu. 8. & Rotam decis. 1. de reb. Eccl. non alien. in antrig. Item Barbol. juris Eccl. l. 3. c. 16. n. 42. ubi: *Tractatus sollemnis requisitus à jure in alienatione rei Eccl.*

P. Leuven. Fori Benef. Tom. III.

clesiastica, non requiritur in unione; cum hæc unio rationem veræ alienationis non subeat. Item Castrop. cit. §. 2. nu. 29. citans plures. Papa tamen minime est obnoxius formæ huic, quæ versatur circa disquisitionem causæ; & si alteri eam committat, ille tenetur formam rescripti simpliciter observare; cum præter illam omnes aliæ solennitates censeantur intervenisse. Lott. loc. cit. nu. 148. citans Abb. conf. 41. n. 3. p. 1. Decium conf. 341. n. 12. sic quoque ait Corrad. pr. benef. l. 2. c. 15. n. 70. & 73. dum recurritur ad Papam (puta Capitulo vel Patrono negante suum consensum ob causam minùs legitimam) pro impetranda unione, Papa supplet omnes solennitates, omnèsque defectus; & sic in hujusmodi unionibus præter Papæ auctoritatem non requiritur alia solennitas, quando nimirum ipsius Papæ auctoritas legitime ac validè fuit interposita, secus si nulliter & subreptitiè. Idem habet Card. de Luca. de benef. d. 45. n. 9. ubi: *Auctoritas Apostolica supplet quasunque alias solennitates, & in specie illam consensum Capituli.*

Questio 914. An, & qualiter requiratur consensus Capituli ad faciendam unionem?

Respondeo: Necessariò requiri consensum Capituli Cathedralis, dum per Episcopum fit unio. Castrop. de benef. d. 6. p. 12. §. 2. num. 24. Garc. cit. c. 2. n. 145. Ventrigl. 10. 2. annot. 8. §. 2. n. 2. Azor loc. cit. Card. de Luca loc. cit. nu. 3. & 4. Corrad. pr. benef. l. 2. c. 15. n. 67. & l. 4. c. 8. n. 23. juxta Clem. si unio. ubi conceditur Episcopis facultas uniendi juxta formam juris, quæ verba intelligunt AA. juxta formam c. sicut unire. & cit. Clem. ubi requiritur consensus Capituli. Ratio jam q. præced. indicat a est, nempe maxima conjunctio Episcopi cum Capitulo, ratione cujus majoris gravioris momenti negotia exigunt tractari cum Capitulo, & de consensu illius expediri. Ventrigl. loc. cit.

2. Ampliatur responsio primò, ut adhuc hodie dum ex Trid. datur facultas uniendi Episcopis tanquam Sedis Apostolicæ delegatis; adeoque etiam, dum hi uniunt tanquam Apostolicæ Sedis delegati, requiratur hic Capituli consensus, cum, ut dictum paulò ante, Concilium concedat Episcopis facultatem uniendi servatà formà juris, quæ est, ut inter cetera requiratur hic consensus, Garc. loc. cit. n. 157. juncto nu. 158. sic resolutam inquiriens à S. Congregat. contra Nav. conf. 10. de off. Jud. deleg. nu. 150. & Zerol. pr. Ep. p. 2. v. unio. §. 9. Atque ita non videtur subsistere, quòd tradit Garc. cit. c. 2. n. 190. & ex eo Corrad. cit. c. 8. n. 24. quòd in unione faciendâ Seminario ex eodè Trid. non requiratur ipsius Capituli consensus, sed ejus loco fiat hæc unio cum Consilio quatuor deputatorum, quorum duo sunt de Capitulo, & duo de Clero. Contrarium etiam tradit Ventrigl. loc. cit. n. 13. ubi: *declara, quòd ultra consensum Capituli requisitum ad omnes uniones per cit. Clem. in unione faciendâ Seminario requiritur etiam Consilium quatuor deputatorum, duorum de Capitulo, & duorum de Clero, juxta terminos Concilii Trid. sess. 23. c. 18. prout voluisse Rotam, & declarasse S. Congregat. refert Riccius in pr. p. 1. resol. 390. n. 3. Quo etiam spectat, quòd tradit Lott. l. 1. q. 28. n. 155. hæc expressis: si legatus vel Papa committat substantiam unionis ipsimet Episcopo (nisi aliter in forma rescripti appareat necessitas hæc remissa) debet Episcopus adhuc sui Capituli consensum adhibere.*

Go 3

3. Amplia-

3. Ampliatur responsio secundò; ita ut adhibicio hujus consensus requiratur pro forma, adeoque eam omisâ, unio sit omnino nulla. Corrad. *cit. c. 8. n. 23.* Garc. *loc. cit. nu. 166.* Ventrigl. *loc. cit. nu. 5.* citans Barbof. *de Canon. & dignitat. c. 42. num. 8.* Ricc. *in pr. resol. 288. in princip.* Idque, ut Garc. Capitulo non dicente seu opponente. Ac proude jam etiam non sufficit adhibitum Capituli Consilium. Azor. *loc. cit.*

4. Ampliatur tertio, ut non sufficiat consensus, si sit singulorum de Capitulo, sed requiratur consensus Capitulariter. Ventrigl. *loc. cit. nu. 2. in fine.* citans Rotam *devis. 484. n. 7. p. 1. recent.*

5. Ampliatur quarto, ut non sufficiat consensus tacitus, sed requiratur expressus. Ventrigl. *loc. cit. n. 4.* citans Fulc. *de visit. l. 2. c. 26. n. 5.* contra Monet. *de commut. ult. vol. c. 12. n. 251.*

6. Ampliatur quinto, ut etiam in unione beneficii, quod est de jure patronatus laicorum, etiam postquam laici patroni consensum suum præstiterunt, requiratur in super consensus ille Capituli. Ventrigl. *loc. cit. n. 9.*

7. Ampliatur sexto, ut requiratur adhuc consensus Capituli, etiam in unione beneficiorum simplicium facta dignitati, & præbendis ipsius Ecclesiæ Cathedralis; et si enim hæc unio per consequens redundet in utilitatem Capituli, quia tamen principaliter, & directè non fit in favorem Capituli, Capitulum præstare potest suum consensum, adeoque eum requirere tenetur Episcopus. Ventrigl. *loc. cit. n. 10.*

8. Amplianda videtur septimo, ut non sufficiat, hunc consensum subsequi factam unionem, quemadmodum aliàs sufficit ad hoc, ut collatio beneficii Jurispatronatus valeat, subsequi consensum patroni. Item ut alienatio rerum Ecclesiæ, de qua in *c. cum nos. de his, qua sunt à Pralat.* subsistat, sufficit subsequi consensum Capituli; quia hic consensus est requisitus ad valorem, & substantiam unionis, & requiritur de forma, & tanquam solennitas in ipso actu unionis adhiberi debita, adeoque tempore unionis jam adesse debet. Castrop. *loc. cit. n. 26.* Burlat. *conf. 185. l. 2. n. 14.* Rebuff. *in compend. alienat. n. 15.* Imol. Burrio, & alii in *c. cum nos.* apud Garc. *loc. cit. c. 2. n. 149.* contrarium tenentibus Ventrigl. *loc. cit. nu. 8.* (qui tamen addit cum Barbof. *de Canon. & dignitat. c. 42. n. 8. in fine.* Quod si tamen dictus consensus præsticus fuisset prius postceptum iudicium nullitatis unionis ob defectum illius consensus, non revalidandam unionem) Garc. *loc. cit. n. 142.* Azor *loc. cit. q. 12. in fine.* Rebuff. *ad reg. 21. Cancell. gl. 11. n. 20.* Hojed. *de incomp. p. 2. c. 3. n. 9.* Sanchi, *loc. cit. c. 29. nu. 165.* apud Castrop. *loc. cit.* Item contrarium tenente Barbof. *juris Ecclesiæ. l. 3. c. 16. nu. 45.* & aliis, quorum sententiam communiorem fatetur Castrop. Neque obstant exempla adducta in contrarium; cum necessitas consensus patroni in favorem illius sit introducta; idemque sit de consensu Capituli in alienationem rerum Ecclesiæ; consensus verò Capituli in unionem, non in gratiam Capituli, de cujus præjudicio non agitur in unione, sed in gratiam Ecclesiæ, ne passim & temerè uniones fiant, est requisitus. Castrop. *loc. cit.* In dubio autem præsumi hunc consensum intervenisse ex temporis diuturnitate ait Barbof. *loc. cit. n. 45.* ex Hojeda.

9. Limitatur e contra responsio primò, ut necesse non sit adhiberi consensum Capituli in unione faciendâ per Episcopum; sed ea fieri possit abs-

que Capitulo, ubi existat consuetudo in contrarium. Barbof. *loc. cit. n. 42.* citans Sanch. in *decal. l. 7. c. 29. n. 164.* Ventrigl. *loc. cit. n. 11.* Castrop. *loc. cit. n. 25.* Corrad. in *pr. benef. l. 2. c. 15. n. 68.* Garc. *loc. cit. c. 2. n. 152.* citans Fulc. *de visitat. l. 2. c. 26. n. 5.* Caccialup. *de union. a. 6. a. num. 10.* contra gl. in *cit. Clem. si una. v. consentiente.* Imol. *ibid. nu. 16.* Abb. *n. 2.* Felin. in *c. cum causam. de re judic. n. 10.* Pet. de Perus. *de union. c. 5. q. 8.* Lancell. &c. Hanc consuetudinem debere esse immemorabilem, tenent Barb. Castrop. *loc. cit.* Garc. *n. 155.* citans Gamb. *de pot. leg. l. 5. rub. 1. de pot. leg. in uniendo. n. 58. & 108.* Card. in *Clem. si una. num. 12.* Aut quadragenariam cum titulo. Garc. *loc. cit. num. 155.* Castrop. *loc. cit. ed. quod.* ut Castrop. videatur esse præscriptio. Quin & sufficere solum tempus 40. annorum in consuetudine generali, qua esset consuetudo propria, & non præscriptio, ait idem Garc. *nu. 156.* & ex eo Castrop. *loc. cit. n. 25.* Et talem consuetudinem generalem, per quam derogatum sit obligationi requirendi consensum Capituli, dari in regnis Hispaniæ, ait idem Garc.

10. Limitatur secundò, ut si Capitulum requisitum nollit abique legitima causa præbere consensum, possit Episcopus procedere ad unionem sine illo consensu; si tamen prius Capitulum ad consentiendum fuerit compulsus; cum Episcopus privandus non sit potestate uniendo, quam habet, ob contradictionem irrationabilem Capituli. Azor *loc. cit. q. 12.* Castrop. *loc. cit. nu. 25.* citans Rebuff. *ad reg. 21. Cancell. gl. 11. n. 3.* Sanch. *loc. cit. ult. cit. Socin. Senior. in c. sicut unire. a. 6. concl. 1. n. 92.* Quod si tamen iusta est causa contradicendi; Episcopo unionem molienti, unius de Capitulo contradictio sufficere ad impediendam unionem. Castrop. *loc. cit. ex Sanch. loc. cit.*

Quæstio 915. Vtrum etiam in unione faciendâ per Legatum, vel ex commissione Papæ requiratur consensus Capituli?

Respondeo: Si Legatus uniat ex potestate sua ordinaria, seu ut Ordinarius, requiritur consensus Capituli; quia tunc non habet ampliorem in uniendo beneficium potestatem, quam Episcopus, & tenetur iisdem legibus ac iuribus, quibus Episcopus; adeoque si hic eger consensu Capituli, etiam ille. Si verò uniat ut delegatus Papæ, sive ex commissione (intellige specialis) Pontificis, in qua mentio non fit requirendi consensus Capituli, non requiritur consensus Capituli; quia tunc uniat ut supplens vices Papæ, qui non habet opus requirere consensum Capituli. Barbof. *juris Ecclesiæ. l. 3. c. 16. n. 46.* Ventrigl. *loc. cit. §. 2. nu. 7.* Castrop. *loc. cit. n. 24.* cit. Socin. *ubi ante. a. 6. concl. 1. n. 115.* Sanchi *loc. cit. nu. 166.* Contra Garc. in quantum *loc. cit. n. 150.* absolute sine illa distinctione docet, in unione faciendâ per Legatum non requiri consensum Capituli, & pro hoc citat Caccialup. *a. 6. concl. 1. n. 14.* Pet. de Perus. *c. 5. nu. 18.* Pavin. *de pot. cap. sed. n. 19.* Gamb. *de pot. leg. l. 5. rub. 1. de pot. leg. in uniendo. n. 58. & 110.* Nav. *conf. 10. nu. 10.* de off. leg. Hojed. &c. Item contra Lott. *l. 1. q. 28. n. 154.* in quantum ibi tradit, Legatum, quamvis Ordinarius jure pollentem non teneri præmittere tractatum; cum nulla sit ei cum Capitulo communicatio; ex eo enim sequi videtur ob rationis participationem, illum nullum consensum necesse habere ad requirendum Capituli. De cetero tamen, dum Episcopus

scopus ex speciali commissione Papæ unionem facit (nisi aliud habeat rescriptum) requiri adhuc consensum Capituli; tradunt Fallos. *caus. 8. deb. 5.* Boer. *decis. 345. n. 4.* Practicabil. *Rotæ de union. n. 12.* Rebuff. *in pr. ad reg. de union. gl. 11. nu. 2.* apud Garc. *nu. 151.* qui in hoc etiam contrarium sentire videtur, dum *ibidem* absolute ait, non requiri consensum Capituli in unione faciendâ per Papam, seu ex ejus commissione.

Quæstio 916. Quo dicente seu allegante, unio facta per Episcopum sit nulla ex defectu consensus Capituli?

Respondeo: Hæc nullitas opponi potest non solum per ipsum Capitulum, sed per quemlibet alium, cujus interest, non valere unionem; quia ut dictum, non in favorem Capituli, sed pro forma, & solemnitate in gratiam Ecclesiæ, & pro ejus recta gubernatione requiritur hic consensus. Garc. *cit. c. 2. n. 164.* Ventrigl. *loc. cit. n. 6.* Barbof. *cit. c. 16. n. 44.* Castrop. *loc. cit. n. 27.* Lott. *l. 1. q. 28. n. 176.* citantes Rotam *decis. 247. n. 5. p. 1. divers.* & in *Verdum. union. 23. April. 1610.* Unde in hoc, ut rectè Castrop. maxima apparet diversitas inter alienationem rerum Ecclesiæ, & unionem beneficiorum, prout patet ex dictis q. *præced.*

Quæstio 917. An in unione Canoniciatus Ecclesiæ Collegiatae, vel etiam beneficii alterius Ecclesiæ, habentis Collegium aliquod Clericorum, constituentium, vel potius representantium Capitulum, necessarius sit præter consensum Capituli Cathedralis consensus dicti Capituli Ecclesiæ Collegiatae, vel etiam alterius illius Ecclesiæ?

Respondeo ad primum affirmativè. Ventrigl. *cit. §. 2. n. 15.* ubi: in suppressione Canoniciatus (qualis contingit in unione illorum facta accessorie aliis beneficiis) Ecclesiæ Collegiatae requiritur consensus Capituli Ecclesiæ Cathedralis, & ejusdem Ecclesiæ Collegiatae, aliàs suppressio & unio redituum illorum esset nulla. citat pro hoc Sell. *Select. Canon. c. 34. n. 8.*

2. Respondeo ad secundum etiam affirmativè Ventrigl. *loc. cit. n. 14.* ubi: in unione beneficii, cujus collatio spectat ad inferiorem collatorem, requiritur non solum consensus istius inferioris collatoris, sed etiam consensus Clericorum, constituentium Capitulum cum dicto Prelato inferiore, ultra consensum Capituli Cathedralis, citat pro hoc Sanch. & Barbof. *juris Eccl. l. 3. c. 16. n. 43.* ubi tamen hic posterior de hoc nihil.

Quæstio 918. An pro valore unionis requiratur consensus Rectoris, seu Possessoris beneficii uniendi, vel is vocandus sit, aut saltem ei insinuanda sit talis unio facta?

Respondeo ad primum, neque illius consensus requiritur, neque vocandum; cum nullum patiatur præjudicium per talem unionem; utpote quædurante ejus vitâ non fortitur effectum, intellige, quod ad executionem. Quin & potest is beneficium unitum permutare cum alio, & in favorem resignare, factâ mentione unionis, quæ resignatio passim à Papa admittitur, cum suspensione unionis pro illa vice. Cujus autem jus non deditur, quia est cum unione compatibile, illius vocandi, aut consensus illius exquirendi, ut inquit Lott. *loc. paulo post citando. n. 179.* nulla est necessitas. Cor-

rad. *pr. benef. l. 4. c. 8. nu. 29.* & *l. 2. c. 15. num. 84.* Ventrigl. *cit. §. 2. n. 16.* Tond. *qq. benef. p. 3. c. 156. n. 5.* Lott. *l. 1. q. 28. n. 171.* & Barbof. *loc. cit. n. 41.* Garc. *p. 12. c. 2. nu. 214.* (addens idem procedere in unione faciendâ per Legatum, citans pro hoc Gamb. *de pot. leg. l. 5. rub. 1. de pot. leg. in uniendo. n. 114.* uti idem ex eo ait Barbof. *loc. cit.*) Castrop. *cit. §. 2. n. 23.*

2. Ampliatur responsio primò, & à fortiore extenditur ad Rectorem, non Ecclesiæ, seu beneficii uniendi, sed Ecclesiæ, in qua est beneficium uniendum. Garc. *cit. num. 215.* citans Rotam *decis. 133. n. 14.* & *15. p. 2. divers.* Corrad. *cit. c. 8. nu. 29.* citans eandem Rotam *decis.* ac dicens in ea responsum, quodd, etiam si præstimoniaris teneatur Ecclesiæ ad aliquod servitium, nihilominus in illa præstimonii unione nullum factum præjudicium dicto Rectori, illiusque Ecclesiæ; eò quod per unionem unius Ecclesiæ ad alteram, non alteretur status Ecclesiæ unitæ, sed debeat ei more solito deserviri.

3. Amplianda secundò, ut procedat, etiam in casibus positis in Trident. ut vocatis his, quorum interest, fiant uniones. Garc. *nu. 217.* contrarium visò sentire Fusc. *de visitat. l. 2. c. 26. n. 11.* Item in unionibus faciendis ex commissione Papæ, cum dicta clausula; vocatis, quorum interest. Garc. *n. 218.* quamvis dictâ ampliatione opus non sit; cum dicta clausula vocationem Rectoris non comprehendat, utpote cujus non interest; cum nullum ex unione capiat præjudicium.

4. Limitanda è contra responsio primò, ita ut, si talis unio foret præjudicialis Rectori beneficii (idem est de Rectore Ecclesiæ, in qua situm beneficium unieadum) utriusque is vocandus esset, & unio facta sine illius consensu non valeret ex Regula, quam ponunt omnes in *cit. Clem. si una.* præcipue Calderin. *nu. 17.* nempe quodd, vocandi omnes habentes interesse, & eorum consensus exquirendus. Lott. *loc. cit.*

5. Limitanda secundò, ut vocandus sit Rector in dismembratione, seu alienatione partis beneficii. Ventrigl. *cit. §. 2. n. 18.* Sed de hoc infra.

6. Limitanda tertio: Ita ut, si Rector sponte comparuerit, justam causam allegando contra unionem, audiendus sit. Ventrigl. *loc. cit. n. 17.* citans Barbof. *juris Eccl. l. 3. c. 16. n. 41.* ubi tamen is de hoc nihil. Unde jam illud, quod ait Corrad. *pr. benef. l. 4. c. 8. n. 29.* in fine. Rectorem, si præsens esset, non posse contradicere, intelligendum erit, sine justa causa.

7. Respondeo ad secundum: Neque Rectori beneficii intimanda est unio facta, dum illi non præjudicat. Corrad. *loc. cit.* quamvis addat, se vidisse fieri in praxi hujusmodi insinuationem seu notificationem: potestque hæc insinuatio ad hoc servire, ut beneficium unitum non resignet in favorem, non factâ mentione unionis.

Quæstio 919. An requiratur vocatio & consensus defensoris beneficii, dum nimirum unio faciendâ est tempore vacationis beneficii?

Respondeo negativè. Barbof. *loc. cit. n. 41.* Castrop. *cit. §. 2. n. 23.* Tond. *qq. benef. p. 3. c. 156. n. 5.* quia nec hujus defensoris interest fieri, vel non fieri unionem; Constitutioque defensoris beneficii requiritur pro dismembratione, & divisione beneficii, illiusque alienatione, non pro ejus unionem.

ne. Castrop. loc. cit. citans Sanch. in Decalog. l. 7. c. 29. n. 171. Quòd si tamen is sponte comparuerit, allegando justam causam contra unionem est audiendus, juxta Ventrigl. cit. n. 17.

Questio 920. An in unione faciendâ per Legatum, seu ex commissione Papæ vocandus sit Episcopus, cujus collationi subjacet beneficium uniendum?

Respondeo negativè: Quia etsi is per talem unionem priveretur in posterum collatione beneficii talis uniti, hoc tamen præjudicium provenit ex natura unionis, quam ipse Ordinarius seu Episcopus facere deberet in beneficio spectante ad suam collationem. Garc. loc. cit. n. 222. & cum eo Castrop. loc. cit. contra Ripaml. 2. q. 18. n. 7. Gamb. de pot. leg. rub. de pot. leg. in uniendo. nu. 114. & alios apud Garciam, qui etiam n. 223. ait, illud, quod Pet. de Perus. de union. c. 5. q. 6. dicit, quod licet Episcopus non potest unire sine consensu Ordinarii collatoris, ita nec Legatum, id, inquam, intelligi de Ordinario collatore inferiore.

Questio 921. An vocanda sit plebs, vel Dominus loci?

1. **R**espondeo ad primum negativè. Barbof. loc. cit. n. 40. citans Rebuff. in pr. reg. 21. Cancell. de union. gl. 11. n. 1. II. & 12. Hojed. de incomp. p. 2. c. 3. nu. 9. Sanch. ubi ante. nu. 163. Garc. cit. c. 2. n. 219. Tond. qq. benef. p. 146. 37. nn. 5. Ventrigl. loc. cit. n. 20. Castrop. cit. nu. 23. Si tamen plebs compareret, audienda erit, si causam rationabilem allegaret pro non faciendâ unione. Barbof. Tond. Ventrigl. Garc. Hojed. Rebuff. ll. cit. In casu tamen, in quo necessarius esset consensus populi ad unionem faciendam, sufficiens illius consensus elici non potest ex eo, quòd major pars coram Commissario Apostolico testimonium in causa unionis tulit; consensus siquidem populi in casibus, quibus necessarius est, non separatim, sed simul, & collegialiter præstandus est, & communitate legitime congregatâ Tond. loc. cit. citans Monet. de commur. ult. vol. c. 7. n. 398. & DD. in c. cum omnes. & in c. cum M. de Constit. & in c. in Genes. de Elect.

2. Respondeo ad secundum: Idem quod de plebe dictum, dicendum de Domino loci, quòd ejus vocatio, multòque minùs consensus sit necessarius. Tond. loc. cit.

Questio 922. Quinam igitur vocandi, & quorum consensus adhibendus?

1. **R**espondeo primò in genere, omnes illos vocandos, & eorum requirendum consensum, quorum interest, seu in quorum præjudicium cadit unio, ut si quid habent contra unionem, opponant: ita ut, si eorum unus negligatur, unio sit nulla, tam jure communi, nempe Clem. unic. §. ad hæc. de statu Monachor. quam jure novo. Tirid. sess. 7. c. 6. Card. de Luca. de benef. d. 49. nu. 12. Garc. p. 12. c. 2. n. 203. Castrop. de benef. d. 6. p. 12. §. 2. n. 21. Ventrigl. to. 2. annot. 8. §. 2. nu. 18. cum communi. Et quidem ipso jure esse irritam unionem, si non vocetur, quorum interest, ait Barbof. loc. cit. num. 51.

2. Respondeo secundò in specie: Tales sunt, quibus competit jus conferendi beneficium uniendum, vel jus præsentandi, aut eligendi ad illud,

seu collatores, patroni, electores; quia his omnibus notabiliter per unionem præjudicatur; siquidem jus conferendi, præsentandi, eligendi quod possident, extinguitur per unionem. Castrop. loc. cit. n. 22. ubi de Electoribus expressè, uti & Barbof. loc. cit. n. 49. Lott. l. 1. q. 28. n. 159. (ubi: quòd ad vocationem eorum, qui possunt interesse præterire, duo sunt, patronus, vel ille, cui Ecclesia subest, & collator: igitur vocandi sunt ex necessitate) Ventrigl. loc. cit. citans Chok. ad reg. 13. Cancell. n. 28. Caccialup. de union. a. 6. Novarin. singul. Concl. tit. de union. Concl. 7. alias 329. n. 4. & De collatoribus etiam expressè Garc. loc. cit. n. 205. ut habet Rota in Terrisina 28. Jun. 1593. quòd dictum, in unione faciendâ de beneficio solere, & debere exprimi possessionem juris conferendi, si qua penes aliquem est, maximè jure speciali competens. Hi ergo omnes vocandi, ut consensum præstent, adeoque sine eorum consensu non fit unio. Castrop. loc. cit. Sanch. ubi ante. n. 167. & 168. citans quamplurimos. Porro Episcopo unienti, enuncianti, se horum omnium citationem fecisse, non creditur, nisi id aliunde probet. Castrop. cit. nu. 22. Ventrigl. loc. cit. §. 1. n. 22. sic decisum referens à Rota in Verellenf. unionis. 23. April. 1610. Garc. loc. cit. n. 213. ubi: Contra patronum aut inferiorem Collatorem non præsumitur eorum consensus, etiam si in unione enuncietur ab ipso Episcopo; nam aliàs esset in facultate Episcopi illi præjudicare. & n. 202. ubi ex Rebuff. conf. 20. vers. quòd responderetur, ait, quòd si per inferiorem à Papâ facta est unio, oportet probare non solum unionem, sed & consensum collatoris seu patroni. Quòd si autem patroni, collatores inferiores, electores vocati non comparerint, aut reuant venire, vel denegent consensum (intellige absque rationabili causa) quia in primo casu tacite consentire videntur, in secundo verò casu irrationabiliter dissentiunt, poterit faciliùs unionem facturus ad illam procedere. Castrop. loc. cit. nu. 22. in fine. Probata tamen priùs, ut idem, & per sententiam declarata necessitate, & utilitate. Possè tamen tam patronorum quam electorum & inferiorum collatorum consensum subsequi, tenet Barbof. loc. cit. n. 50. in fine. Tond. qq. benef. p. 1. c. 37. n. 2. citans Chok. ad reg. 21. alias 22. n. 28. Gregor. in institut. rei benef. c. 20. n. 10. & c. Et cur id fieri potius possit, quam in consensu Capituli, dictum fuit supra, quamvis meritò & de hoc dubitari possit; cum dum conceditur potestas uniendo, non minùs sub hac clausula: vocatis vocandis: seu quorum interest, quàm sub illa: de consensu Capituli, concedatur: adeoque non minùs peccatum contra formam præscriptam videatur, dum neglecta illa vocatio, & requisitus consensus, illud hic notandum, quòd, dum dicitur vocandos collatores, eorumque consensum requirendum, id intelligendum de inferioribus Episcopo collatoribus: cur enim is, dum per Legatum fit unio de beneficio, cujus Episcopus est collator Ordinarius, vocandus non sit, dictum fuit supra, ex Garc. cit. c. 2. n. 222.

Questio 923. Adhuc magis in specie, an & qualiter vocandi Patroni?

1. **R**espondeo primò: Ad valorem unionis requiretur vocatio & consensus Patronorum, tam Ecclesiasticorum quàm Laicorum. Tond. qq. benef. p. 3. c. 144. n. 8. & 9. Ventrigl. loc. ult. cit. Castrop. n. 21.

n. 22. Corrad. *pr. benef.* l. 2. c. 15. n. 83. Lott. l. 1. g. 28. n. 166. (ubi: In Episcopo prorsus necessaria est vocatio tam patroni, seu ejus, cui Ecclesia quocumque modo subest, quam Collatoris) Garc. *loc. cit.* n. 202. citans Pet. de Perus. *de union.* c. 3. g. 6. Lamb. *de jurep.* l. 3. g. 6. n. 2. Mandos. *ad reg.* 22. g. 8. n. 3. Covar. *pract.* 99. c. 36. n. 18. Fusc. *de visit.* l. 2. c. 26. n. 26. Paris. *de resign.* l. 2. g. 4. n. 11. Zerol. *in pr. Ep.* p. 1. v. unio. §. 7. *sub.* 4. &c. juxta Trid. *sess.* 24. c. 15. & *cit.* Clem. *de statu Monachor.* Et quidem ante omnes patroni vocatio, & consensus videtur necessarius; siquidem, ut Lott. *loc. cit.* n. 167. ex Zabarel. *conf.* 98. n. 3. Patroni vocatio duplici ratione requiritur, tum scilicet, quod cum per unionem contingat, Ecclesiam quodammodo capite minui, ejus defensio ipsi Patrono hoc capite competit: tum quia per eandem jam perditur patronatus. Fore tamen unionem validam, si Patronus laicus illi intra quatuor menses non contradixerit, ait Card. Paris. *conf.* 128. n. 2. vol. 4. apud Tond. *loc. cit.* n. 12. citans pro se Zabarell. *in Clem.* 1. *de suppl. negl. Prælator.* n. 11. quem tamen supponere scientiam simul & non contradictionem Patroni ait Tond. & non loqui in terminis unionis.

2. Ampliatur responsio primò: Ita, ut dum sunt plures Patroni, omnium consensus requiratur, & non sufficiat major eorum numerus, sed omnes consentire debeant. Ventrigl. *166. cit.* §. 1. n. 22. Tond. *loc. cit.* n. 10. Lott. *loc. cit.* n. 170. citans Verall. *Decis.* 146. p. 3. & citat pro hoc Garcias *loc. cit.* n. 206. *Decis. Rotæ in Spoletan. Capellan.* 17. Jun. 1551. in qua expressè dicitur, unionem factam de beneficio jurispatronatus Laicorum non accidentem consensu omnium patronorum esse nullam.

3. Ampliatur secundò, ut etiam, dum beneficium jurispatronatus unitur ad vitam, requirendus sit consensus patroni, cum & sic præjudicetur patrono circa præsentationem, dum nimirum ea impeditur pro illa vice, qua tale beneficium vacans unitur, Corrad. *pr. benef.* l. 2. c. 15. n. 86. & 88. ubi ait: tam in unione perpetua, quam temporali requiritur supradictus consensus; cum nullibi reperitur expressum, quod requiratur in unionibus tantum perpetuis, sed omnes absque aliqua distinctione dicant, hujusmodi consensum adhibendum esse in hujusmodi unionibus. &c. Quod si tamen fieret unio de tali beneficio jurispatronatus non vacante, sed pleno, non videri requiri consensum patroni, ait idem Corrad. *cit.* n. 88. cum tunc non videatur fieri patrono in aliquo præjudicium, non circa præsentationem; cum non vacet, nec per unionem inducatur vacatio: non circa alimenta & processionem; quia Rector Ecclesiæ, cui sit unio, tevetur ad hæc præstanta patrono, ut idem Corrad. *loc. cit.*

4. Ampliatur tertio: ut etiam, dum unio fit per Legatum de latere, requiratur vocatio, & consensus patronorum. Castrop. *cit.* n. 22. Barbofi *loc. cit.* n. 50. Garc. *loc. cit.* n. 211. Idque non solum, si juspatronatus est Laicorum, aut mixtum, hoc est, partim Laicorum, partim Ecclesiasticorum; utpote cui derogare non potest; sed etiam, quando est merè Ecclesiasticum. Castrop. Garc. *II. cit.* contra Azor. p. 2. l. 6. c. 28. q. 12. Tond. *loc. cit.* n. 13. Sanch. *loc. cit.* n. 169. Barbofi *loc. cit.* citantem pro se Lamb. *de jurep.* l. 3. g. 6. a. 1. n. 4. Rebuff. *in pr. tit. de union.* n. 28. quia nullibi in jure concessa est Legato hæc potestas derogandi jurispatronatus Ecclesiastico in unione beneficiorum;

esto enim, possit illi derogare, quoad provisionem talium beneficiorum, inde tamen inferri nequit, idem illum posse quoad unionem, utpote quæ titulum extinguit, adeoque & juspatronatus, & præsentationem in perpetuum, seu pro semper auferit. Garc. & Castrop. *II. cit.* Idem est ex identitate rationis, dum juspatronatus est quidem Laicorum, sed acquisitum, non ex fundatione, dotatione, &c. sed præscriptione, consuetudine, privilegio, ut etiam à Legato unione requirendus sit consensus horum patronorum, & is huic jurispatronatus quoad faciendam unionem derogare nequeat. Garc. Castrop. *II. cit.* contra Azor. Barb. Sanch. *II. cit.* Secus est, dum agitur de unione facta per Papam, qui potest derogare jurispatronatus, & ideo valida est unio facta auctoritate Sedis Apostolica, etiam non interveniente consensu patroni Ecclesiastici, si Papa derogavit, Tond. *loc. cit.* n. 11. citans Card. Paris. *conf.* 128. n. 24. vol. 4. Rebuff. *conf.* 20 *vers.* quinto *respondetur.* quod idem erit de patronatu Laico, si ei derogavit, uti non minus illi, quam Ecclesiastico derogare potest.

Quæstio 924. An in executione unionis vocandi sint, qui ei consenserunt?

Respondeo negativè: Clausula siquidem illa: *vocatis vocandis*, concernit solum illos, qui possunt habere interesse, ac ideo possent contradicere; non autem ad eos, qui ob consensum suum jam præstitum unioni non habent amplius jus contradicendi; & ubi jam præstitus est consensus super gratia, novus non requiritur in ejusdem gratia reformatione, vel executione, aut alio actu accessorio, & consecutivo primi. Card. de Luca *de benef. d.* 47. n. 5. juncto n. 7.

Quæstio 925. An in unione sit exprimendus beneficiorum uniuersorum valor, & litigiostris?

Respondeo ad primum affirmativè; quia aliter constare non poterit, unionem esse necessariam, vel utilem. Castrop. *de benef. d.* 6. p. 12. §. 2. n. 28. Laym. *ad c. non potest. de prob.* n. 1. *in fine.* ubi in unione beneficii unius cum altero beneficio, qua sit per extinctionem beneficii uniti, utriusque verus valor exprimi debet, ut appareat, quanta sit necessitas; quia, cum talis unio odiosa sit, ideo fieri debet præmissa causa cognitione, &c. Hæc tamen intelligenda sunt de unione, quæ postulat facienda à Papa, vel ejus Legato, quia hi valore beneficiorum ignoant; secus de facienda ab Ordinario, cui valor beneficiorum satis perspectus præsumitur. Castrop. *loc. cit.* citans Rebuff. *ad Reg.* 21. *Cancell. gl.* 5. & seq. Sanch. *in Decalog.* l. 7. c. 29. n. 178. Porro qualiter in impetratione beneficii necesse sit, facere mentionem unitorum, dictum alibi. Illud hic notandum, quod habet Glossat. antiq. apud Chok. *ibid.* n. 12. nempe, quod, si non fecit mentionem de annexis, valorem tamen verum cum annexis expressit, gratia non sit subreptitia; intelligendo id, quando illa annexa erant accessoria ad illud beneficium impetratum; secus si fuissent principalia. Item quod habet ipsè Chok. *loc. cit.* n. 22. quod non sit opus facere mentionem dictæ unionis in impetratione beneficii uniti, si unio vel annexio viribus careat, vel ex defectu potestatis, vel ex defectu formæ.

2. Respon-

2. Respondeo ad secundum quoque affirmati-
vè. *Parit. de resign. l. 2. q. 3. n. 61.* ubi: *unio non potest fieri de aliquo beneficio, nisi facta mentione litis.* De quo vide plura supra, ubi: *de unione beneficiorum litigiosorum.*

Questio 926. An unio fieri possit verbo vel facto?

Respondeo negativè, sed debere fieri scripto. *Cast. op. cit. p. 12. §. 4. n. 3.* *Corrad. pr. benef. l. 4. c. 8. n. 42.* ubi: *unio debet fieri non solum verbo, sed authenticis scripturis, quibus clarè probetur dicta unio, citat pro hoc Mascard. de probat. concl. 587. n. 1. & Rotam in Theam. benef. 20. Maij, 1587. Garc. cit. c. 2. n. 226.* citans *Zerol. in pr. p. 1. v. unio §. 8.* qui etiam dicat, quòd si verbo, vel facto unirentur beneficia, conferrentur ea unita jure vacare; & sic accidisse Beneventi, ubi quædam beneficia erant unita Seminario solo verbo & facto, & sic unita per multos annos steterant, quod cognoscens Nuncius Apostolicus, tulit sententiam, quâ dictas uniones irritavit, & damnavit Seminarium hoc ad magnam pecuniâ quantitatem pro fructibus interea perceptis. At etiam *Corrad. loc. cit. n. 20.* uniones non esse oscitantè faciendas; hinc in Decreto; seu Instrumento unionis, ad excludendam fraudis suspicionem, optimum esse, adhibere testes, qui non sint ipsius Episcopi unitentis familiares, aut domestici; & occurrente dein eorundem beneficiorum unitorum vacatione in menle reservato, Episcopus de hujusmodi unione a se facta, & vacatione certam reddat Datarium, transmittendo ei scripturas unionem concernentes, quibus examinatis, si ex illis appareat, unionem fuisse validam, rejicit supplicationes Papæ porrectas pro impetratione illorum beneficiorum unitorum; si verò aliqua ex scripturis unionis suspicio oriatur, per quam deprehendatur ejus nullitas, beneficia sic nulliter unita conferuntur à Papa.

Questio 927. An, & cur recurratur ad Papam pro unione faciendâ?

Respondeo: Recurri non tantùm ad Papam in casibus, in quibus ipsius præcisè auctoritas requiritur; Verùm etiam, ubi de illis factis ab Ordinario, ad illas uniones faciendas fortè non instructo sufficienter potestare, in futurum dubitari possit. Sic namque nonnullas alias quoque concessiones videmus à Papa confirmari, ut ita non modò suppleatur defectus solemnitatis, qui in ipsa prima concessione potuit intervenire, sed etiam ad cautelam, ac pro majore actûs substantiâ, ut *Abb. conf. 41. n. 3.* *Gabriel conf. 82. n. 2. l. 2.* dum etiam, *Cavaler. Decis. 292. n. 3. & 4.* quando contractus ex confirmatione Superioris validantur, etiam, quòd ab initio nulli fuissent, sustinentur in vim novæ concessionis, & sic Papa, dum confirmat concessiones inferiorum propter superioritatem, & eminentem potestatem semper aliquid roboris adjicit priori concessioni. Ita ferè *Corrad. pr. benef. l. 2. c. 3. n. 93. & 94.* ubi etiam ait, confirmationes à Dataria sapissimè emanatas super inferiorum concessionibus tres potissimum effectus operari. Primum, quòd majorem ipsi facto præsent auctoritatem. Secundum, si quid invalidum, suppleatur ejus defectus. Tertium, quòd sine Papæ licentia non possit retractari, quod ipse confirmavit.

PARAGRAPHVS IV.

De effectuatione, & probatione unionis.

Questio 928. Quando nam unio dicatur sortita suum effectum?

Respondeo primò juxta ea, quæ supra, ubi actum de unione reservatorum, dicta sunt ex *Lott. l. 1. q. 28. n. 191.* aliud nimirum esse effectuationem unionis, seu unionem esse sortitam effectum, quoad perfectionem suam intrinsecam, seu quoad esse, & essentiam suam; quæ effectuationi, seu perfectio ejus intrinseca datur mox, ac unio facta est juxta formam à jure & Trident. præscriptam; et si de cetero beneficium unitum ab antiquo possessore pergit possideri tanquam verus titulus beneficalis. Aliam verò esse executionem unionis, seu effectuationem illius quoad executionem, seu quoad inducendos actu effectus illius, ubi

2. Respondeo secundò, loquendo nunc de effectuatione hac unionis quoad executionem illius, de hac enim effectuatione sermo est, dum quaeritur, num unio sortita sit effectum ad hoc, ut non detur locus revocationi, de qua in *Regula 12. Cancell. & in Trid. sess. 7. c. 6.* Unio facta, etiam auctoritate Papæ, seu ab ipso Papa, vivente adhuc Rectore beneficii non dicitur effectum suum sortita, nisi post mortem dicti Rectoris; quia censetur facta sine illius præjudicio. *Purb. ad rit. de priv. villeg. n. 35.* si ve antequam vacet dictum beneficium per cessum vel decessum dicti Rectoris. *Garc. p. 12. c. 2. n. 97.* *Castrop. de benef. d. 6. p. 12. §. An n. 2.* citans *Mandol. ad reg. 12. Cancell. q. 1. n. 2.*

3. Respondeo tertio: Unio facta tam de beneficio vacante, quàm de beneficio pleno, in ordine ad effectum dispositionis Trident. *loc. cit.* (ubi datur facultas Ordinariis visitandi, & examinandi uniones factas à 40. annis citra, quæ non sunt effectuatæ) & ad effectum *Regule 12. Cancell. revocatoria unionum, non sortitarum suum effectum, tum prius, & non antè censetur, & dicitur sortita suum effectum, quando vigore illius unionis capta est possessio beneficii uniti vacantis, Ventrigl. To. 2. annot. 8. §. 2. n. 30.* citans *Riccium in pr. p. 1. fol. 386. per tot. editione ult.* *Castrop. loc. cit.* *Garc. loc. cit. n. 281. & seq.* citans pro hoc *Mandol. ubi ante. n. 4.* *Hojed. de incomp. p. 2. c. 3. n. 21.* *Glossat. antiq. in dictam Reg. revocatoriam. n. 5.* qui etiam dicit, emanasse quandam Extrav. *Martini V.* quæ declaret illam regulam, in quantum dicit, nisi sortita sit effectum, scilicet quando non est secuta possessio. *Chok. ad eand. reg. n. 21.* *Lott. p. 1. q. 29. n. 27.* qui tamen distinguit, ita, ut id admittat in unione, qua sit prioris tituli extinctiva; in simplici verò dismembratione fructuum intactâ substantiâ tituli dicit dicendum contrarium. Limitat etiam responsionem *Glossat. antiq. loc. cit.* nisi steterit per illum, in cujus favorem facta unio, quò minus cepit possessionem; eò quòd v. g. differat capere possessionem, expectando pinguius beneficium; quæ dolus & fraus suffragari non debent. Secus est, si voluisset capere possessionem, & pro ea capiendam fecisset, quod & in quantum in se fuisset. *Garc. loc. cit. n. 293.*

4. Respondeo quarto: Non tamen requiritur

ut possessio capta sit fructuosa, sive ut fructus uniti beneficii percipiantur, sed ante eorum perceptionem sortita dicitur unio effectum. Castrop. loc. cit. Corrad. cit. n. 30. juncto n. 31. Garc. loc. cit. n. 290. citans Practicab. Rota. de union. in fine. & Decif. Rota in Perusin. benef. 1. April. 1596. in qua resolutum, quod unio facta de Ecclesia, seu beneficio de licentia beneficiarii reservantis sibi fructus, statim sortitur effectum capta possessione ante fructuum perceptionem, ita ut non revocetur per Regulam Cancell. revocatoriam supervenientem durante adhuc reservatione fructuum. Contra Mandol. loc. cit. n. 3. & Rot. in Toletan. benef. 20. Nov. 1592.

5. Respondeo quinto: Num vero sufficiat possessio litigiosa, an requiratur pacifica, non convenit inter AA. Primum affirmat Garc. loc. cit. n. 292. secundum tenet Castrop. loc. cit. ed quod, ut ait, possessio litigiosa vera possessio non fit, nec jus concedat percipiendi fructus: adeoque, dum jus & Regula Cancell. ad hoc ne uniones revocari possint, requirit, ut effectum sortita sint, loquitur de vero effectum.

Quaestio 929. An, & qualiter unio facta presumatur valida?

1. Respondeo primo: Unionis factae validitas in dubium revocari non potest post lapsum temporis immemorialis, quo fuit observata. Tond. qq. benef. p. 3. c. 136. n. 2.

2. Respondeo secundo: Praesumptio unionis resultat à longissima observantia. Card. de Luca de Paroch. d. 35. n. 8. Unionem factam ab Episcopo esse de consensu Capituli, etiam dum in unione non enunciat hic consensus, praesumitur ex diuturnitate temporis. Mascard. de probat. concl. 587. n. 4. & concl. 1322. n. 9. cum Decio, Tirac. & aliis apud Garc. cit. c. 2. n. 178. Et sic intervenisse dictum consensum, aliisque solemnitates, adeoque valide factam esse, ex dicta temporis diuturnitate praesumi, tradit Hojeda de incomp. p. 2. c. 3. n. 9. apud eundem Garc. in fine cit. n. 178.

3. Respondeo tertio: consensum Capituli, etiam in unione non enunciatum, aliisque solemnitates ad unionem, vel actum alium requisitas intervenisse in unione, aliòve actu, adeoque unionem, aliòve actum esse validum, rectè praesumitur ex lapsu, non solum centum aut quadraginta annorum, ut Tond. cit. c. 156. n. 9. sed & triginta annorum (non tamen minoris temporis) cum possessione & observantia unionis, alteriùve actus per totum illud tempus continuata. Garc. loc. cit. n. 178. citans praeter Nav. cons. 38. n. 7. de sent. excom. Menoch. de success. resolut. §. 5. n. 38. Cassad. Decif. 3. de procurat. Eman. Sa. v. solemnitas antiquo actu. Felin. in c. Albericus. n. 2. de restit. & in c. illud. de praescrip. n. 6. Alciat. de praesump. Reg. 3. praesumpt. 10. n. 7. Balbum, de praescrip. p. 3. p. 1. g. 10. n. 10. Aymon. de antiq. temp. p. 3. f. 1. a. n. 6. Menoch. de praesump. l. 2. praesump. 75. n. 24. Simoncell. de Decretis. l. 3. tit. 7. n. 34. & alios docentes, quod quando agitur de gravi praedictio alterius, praesumatur solemnitas non enunciata ex lapsu non minoris temporis, quam triginta annorum, & quos intelligendos ait Garc. cum dicta limitatione, nimirum possessionis, & observantiae continuatae toto illo tempore: traditque idipsum Card. de Luca de Paroch. d. 35. n. 11. dum ait: omnes isti defectus (intellige consensus, aliarumque solemnitarum) remanent sanati à longissima pacifica observantia; si

enim in terminis vera alienationis requirentis necessariò beneplacitum Apostolicum, receptum est, sufficere observantiam tricennem, multò magis intrat praesumptio in hujusmodi minoribus solemnitatibus (intellige) requisitis ad unionem. Stabilitque idipsum pluribus Rota Decif. Garc. d. n. 179. contra Alex. conf. 219. n. 13. & 22. & seq. & alios apud Garc. n. 178. volentes ad talem praesumptionem sufficere tempus longum decem annorum, si concurrat possessio & observantia unionis cum scientia & patientia adversarii. Item contra Aymon. Simoncell. Menoch. l. cit. apud Garc. cit. n. 179. in quantum volunt, etiam sine possessione sufficere illos triginta annos. Item contra Flores de Mena q. 23. n. 94. & 95. apud Garc. n. 186. in quantum docet, solemnitatem necessariam etiam enunciata in scriptura, de qua non constat in scriptura separata, vel de qua Tabellio fidem non facit in rebus Minorum, Ecclesiarum, & aliorum, quae sine solemnitate alienari non possunt, non praesumi, etiam si possessio tricennalis, vel quadragenalis sit, nisi possessio reorum sit admodum antiqua, & immemorialis, vel centenaria, aut magis & minus, & dummodo, si non est ultra centum annos, fama tituli, aut alia indicia arbitrio Judicis relinquenda concurrant, Neque constituendam esse differentiam (quam tamen communiter constituunt DD. alii) inter titulum & solemnitatem necessariam & essentialem praesumendam; sed ad illam praesumendam non minorem probationem, aut minores conjecturas, quam ad praesumptionem tituli requirit.

4. Limitat tamen etiam responsionem ipsa Garc. n. 188. ita ut praesumptioni dictae locus non sit, ubi ex instrumento apparet contrarium, nempe non intervenisse solemnitatem in unione active alio alias requisitam: pro quo citat Aymon. loc. cit. limit. 7. n. 27. Surd. de aliment. lit. 8. privileg. 22. n. 10. Mieres de Majorat. p. 4. q. 20. n. 28. Item Decisiones aliquot Rota, in quibus resolutum, quod, dum ex instrumento constat, solemnitates non esse servatas, cetera praesumptio, quae alias ex lapsu temporis omni potuisset, ut Paul. conf. 81. l. 2. Alex. conf. 1. l. 4. Gabriel. concl. 1. de praesump. n. 57. Et juxta haec intelligendum illud, quod post quodcumque temporis spatium de nullitate unionis opponi possit, nempe ut locum habeat, si ex inspectione actorum constaret consensum, aut interesse habentium in ea non intervenisse, vel alia requisita in ea deficere. Tond. loc. cit. n. 7.

Quaestio 930. An, & quanto tempore praescribatur unio?

1. Respondeo primo: Possè praescribi. Garc. p. 12. c. 2. n. 231. citans Pet. de Perus. de union. c. 4. n. 31. & 32. contra Holtien. in c. quoniam, de vita & honest. Clericor. apud Garc. n. 230. dicentem, nulla temporis diuturnitate induci unionem. Item contra Boer. Decif. 345. n. 6. & Cassanz. apud Garc. ibidem docentes, solum tempus quadraginta annorum sufficere ad praesumptivè probandam unionem. Supponuntque id ceteri fere AA. dum quaerunt, quanto tempore praescribatur. Hinc

2. Respondeo secundo: In praescribenda unione requiritur vel quadragenaria (intellige effectiva) & observantia unionis, seu possessio, quae beneficium tale sine collatione tanquam unitum possessum fuit) cum titulo, intellige, ut etiam sufficiat coloratus, seu putativus, dans causam praescribendi, ut Garc. cit. n. 231. & ex eo Tond. loco

paulo post citando n. 10. & 11. citans etiam pro hoc Boerium Decis. 345. n. 5. & Rotam decis. 223. n. 5. in fine. p. 1. recent. ubi hoc ipsum tradit Caid. de Luca ad Trid. d. 8. n. 31. hisce expressis: Si ad sit unionis titulus explicitus, qui de stricta juris censura invalidus, & alius inefficax dici mereatur, quadragenaria vero, vel major pacifica observantia accedat, tunc id sufficit, nisi titulus adeo infectus sit, ut malam fidem positivam ita inducat, ut prescriptionem impediatur. Item Lott. l. 1. q. 28. n. 105. Vel sine titulo immemorialis (intellige, cum aliis requisitis ad prescriptionem à Gl. in c. 1. de prescrip. in 6. ut Garc. n. 238.) ita tenent Lott. loc. cit. ubi: ob magnam juris resistenciam circumscripto titulo vero, ac patente (hoc est, praescindendo à titulo vero) necessaria est, vel immemorialis, vel quadragenaria cum titulo putativo. Garc. cit. n. 238. sic resolutum inquires à Rota in Aquitanens. benef. 29. April. 1602. Castrop. de benef. d. 6. p. 12. §. 4. n. 3. Fond. qq. benef. p. 1. c. 156. n. 10. citans Mascard. de probat. concl. 1418. n. 11. Chok. ad reg. 21. de unionib. ubi: sufficit allegare ejusmodi prescriptionem unionis (nempe quod Ecclesia, seu beneficium tanquam unitum possessum fuerit à tempore, cujus in contrarium non existat memoria) absque alia tituli probatione; aliis in prescriptione non immemoriali, seu quadragenaria titulus aptus ad prescribendum allegandus est, ut Farinac. de noviss. Rota Decisionib. decis. 58. n. 1. p. 1. Et de hac quadragenaria, nempe cum titulo, intelligendus est Card. de Luca de Paroch. d. 35. n. 12. ubi ait: Unio, qua in jure odibilis reputatur, prescribitur, seu firmatur per observantiam quadragenariam. Item de benef. d. 48. n. 14. ubi ait, quod unio prescribatur per quadragenariam, pacificam possessionem absque alia justificatione, citatque pro hoc Seraph. decis. 1432. n. 4. Buratt. decis. 734. n. 6. & Rotam decis. 433. n. 6. & 7. p. 9. recent. Plura de hoc puncto post, ubi de probatione unionis.

3. Limitat hanc responsonem Garc. n. 239. ut procedere tantum videatur in unione accessoria & extinctiva tituli: secus in unione aequè principaliter facta, in qua quodlibet beneficium manet in suo statu, ac retinet nomen ac jura sua, & solum agitur, ut unus Rector sit utriusque, & sic non ita resistit jus, uti in unione accessoria: unde in ea unione aequè principali prescribenda non sit necessaria immemorialis, aut quadragenaria cum titulo; sed sufficiat quadragenaria sine titulo, cum bona fide tamen; & sic ait, videri velle Rotam, in Tirafon. juris presentandi. 16. Martii, & 16. Octob. 1594. quam recitat.

Quaestio 931. An unio facta praesumatur, an vero necesse habeat probari?

Respondeo: Unio in dubio facta non praesumitur, sed factam esse, probari debet ab eo, qui eam factam asserit; cum unire sit quid facti & odiosum. Card. de Luca de benef. d. 49. n. 13. & de Paroch. d. 12. n. 5. & d. 37. n. 42. (ubi etiam, quod nisi probetur unio, Ordinarius habet fundatam intentionem conferendi illud beneficium, vel etiam indicendi concursum, dum, quod unitum praetenditur, est Parochiale) & ad Trid. d. 8. n. 28. (ubi etiam, quod aliàs, qui dicit, habet intentionem fundatam. quod beneficium, cujus unio negatur, stet de per se independentem) Barb. juris Eccl. l. 3. c. 16. n. 60. Ventrigl. To. 2. annot. 8. §. 2. n. 35. citans Zerol. in pr. Ep. p. 1. v. unio. §. 8. Mascard. de probat. concl. 1411. per tot. Castrop. loc. cit.

§. 4. n. 3. Garc. p. 12. c. 2. n. 224. citans Mandos. ad reg. 12. Cancell. q. 7. Menoch. l. 6. pro lupp. c. 6. n. 1. qui tamen huc fundamento, ut ait Garc. n. 225. id ipsum limitat, ut non procedat, quando asseritur facta unio duarum Ecclesiarum, de quarum paupertate & inopia apparet; eò quod tunc unio facta praesumatur, neque Menochio adstipuletur Felin. conf. 2. n. 23. quem pro se citat Menoch. is namque ibi solum dicit, quod in eo casu sit conjectura facta unionis; non verò dicit, quod ex ea sola praesumatur unio. Garc. n. 225.

Quaestio 932. Qualiter probanda unio facta?

Respondeo primò in genere: Debere plenè ac concludenter probari. Card. de Luca de benef. d. 49. n. 13. Illud autem potissimum pro efformanda probatione, maximè ex adminiculis, aliisque facti qualitatibus per judicem pensandis in consideratione habendum, de qua unionis specie probanda agatur; ubi enim agitur de aequè principali, seu de ea, quae sociativa, vel coequaliter dicitur; cum istae sint species magis favorabiles, vel minus praediciales, leviores probationes admittunt; secus ubi agitur de unione accessoria & subjectiva, quae absolutè odiosa censetur. Card. de Luca ad Trid. d. 8. n. 30. Sic etiam, dum non agitur principaliter de canonizanda unione, seu ad effectum collationis, & pro formando statu Ecclesiae, sed incidenter ad alium effectum, v. g. negativum non tollendi unionem, vel ad effectum potius favorabilem interpretandi possessionem, in qua quis reperitur, minores probationes sufficiunt. Card. de Luca de decimis, d. 11. n. 7. juncto n. 8. Garc. p. 12. c. 2. n. 280.

2. Respondeo secundò: Probari primò unionem legitimè & concludenter per ipsum instrumentum seu literas unionis. Castrop. cit. §. 4. n. 3. Garc. loc. cit. n. 226. quin & ad probandam unionem necessariò requiri has literas, tenent Aymon. conf. 258. n. 10. & 11. Mascard. de prob. concl. 187. n. 3. Zerol. in pr. p. 1. v. unio. §. 8. apud Garc. loc. cit. Et sic requiri scripturam, utpote sine qua fieri nequit unio, decidisse Rotam ex Aymone in Theanens. benef. 20. Maij, 1587. ait Garc. n. 227. Ita etiam, ut testes non sufficiant, ut Rota decis. 557. n. 4. p. 3. ff. vers. quod tamen negat cum Caccialup. 4. 7. ubi, ut patet ex sequent. Nam ubi haec scriptura, seu instrumentum unionis non comparet, puta, quia deperditum.

3. Respondeo tertio: Probari in casu deperditarum illarum literarum posse unionem per testes, qui dictam scripturam viderint. Castrop. loc. cit.

4. Respondeo quarto: Probari potest secundò unio per alia instrumenta antiqua, seu per enunciativas antiquorum instrumentorum & privilegiorum, in quibus facta unio, seu talia beneficia ut unita astruuntur. Castrop. loc. cit. Chok. ad reg. 21. Cancell. de unionib. n. 38. Garc. loc. cit. n. 240. citans Mascard. de prob. concl. 1418. n. 12. Caputaq. decis. 144. n. 2. & decis. 347. n. 2. p. 3. Lott. l. 1. q. 28. n. 106. ubi: negari nequit, ex enunciativis antiquissimis, id est super centum annos, unionem ipsam sufficienter probari, citat pro hoc Put. decis. 204. n. 1. l. 2. (quem ait loqui de enunciativa etiam supra 90. annos tantum) & resolutum dicit à Rota in Barcinon. Vicaria. 9. Feb. 1624. Habent enim tales enunciativae plurimum instrumentorum vim fema. Chok. loc. cit. Lott. l. 1. n. 108. citans Decis. Rota 163. n. 2. & 472. n. 2. & 541. n. 1. p. 1. recent. Garc. n. 249. citans Menoch.

conf. 191. n. 79. l. 2. Aymon. de antiq. temp. p. 1. sect. ampliat. n. 14. Bald. Salicet. Paul. in l. cum aliquis. c. de iure deliberandi. fama autem in antiquis bene & plene probat. Garc. n. 250. & ex eo Chok. loc. cit. Lott. cit. n. 108. & apud hunc, etiam in terminis unionis Verall. decis. 344. n. 2. & 3. p. 3. Rota in Barcinon. Vicar. 2. Octob. 1624. Idque etiam agatur de gravi prauidicio. Garc. cit. n. 250. citans Felin. in c. veniens. de testib. n. 16. & Decium n. 20. & 21. Aiciat. de presump. reg. 2. presump. 3. Lambert. de iurep. p. 2. l. 2. q. 10. a. 4. n. 13. Mascard. concl. 105. n. 1. & 753. n. 7. Farinac. in pr. crimin. p. 1. q. 47. n. 106. & sequent. & plurimos alios, quos sequitur Chok. l. 6. modo tamen sit uniformis & solida. Garc. n. 251. ex Menoch. conf. 191. n. 86. & constans & illa sine varietate & contrarietate. Garc. ibid. ex Jo. Garcia. de nobilitate. gl. 18. §. 1. n. 13. Quin & dicta enunciativa possunt iustificare immemorialem. Lott. cit. n. 108. in fine. citans Verall. decis. 347. n. 2. p. 3. Ut autem dicatur antiquum in hac materia probationis, & in praesente proposito, secundum communem, magisque receptam requiruntur centum anni. Lott. loc. cit. n. 108. ad initium. Castrop. loc. cit. Garc. n. 265. citans Alex. conf. 89. n. 5. Jalon. in l. cum aliquis. c. de iure deliberandi. Decium in el. 1. de appellat. n. 7. Guttier. conf. 1. n. 5. Farinac. p. 1. q. 47. n. 112. & 117. Et quamvis idem Garc. n. 266. dicat, sustineri posse, quod tenent Put. decis. 209. l. 3. & Mascard. concl. 1418. n. 12. nempe tempus 99. annorum sufficere pro antiquitate instrumentorum, etiam in terminis probandae unionis; cum in tanto tempore unus annus plus vel minus imponit parum. Intelligendumque hoc ipsum juxta Rotam de antiquitate instrumentorum; de testibus enim dicitur antiquum, quod excedit annos 60. Garc. n. 264. citans pro hoc Rotam in Faventin. praesent. Dotis. 5. Jun. 1560. Addit quoque Garc. n. 267. tam in testibus, quam instrumentis, cum ambigitur, an sint de antiquo, detrahendum esse tempus litis, seu quo capit contradici. Citat pro hoc Put. decis. 449. n. 2. l. 1. & varios Rota Decisiones. De cetero

5. Extenditur responsio hac, ut procedat, etiam si huiusmodi enunciativa non essent recepta in individuo super unione, sed solum virtualiter; siue etiam si unio non expressit & clare, sed tantum virtualiter enunciaretur. Lott. loc. cit. n. 109. citans Rotam decis. 626. n. 2. p. 1. recent. Garc. cit. c. 12. n. 256. citans Rotam in Albanens. plebis. 8. April. 1598. Econtra

6. Limitanda primo, quod dicta enunciativa antiquorum instrumentorum non probent unionem, nisi habeant originem a diversis personis. Garc. loc. cit. n. 254. citans Felin. in c. cum causam. de probat. n. 2. Mascard. concl. 622. n. 18. Achill. decis. 8. de iurep. &c. & Rotam in Mediolan. jurisp. de anno 1589. Sufficiunt autem, & requiruntur ad minimum duo instrumenta. Castrop. loc. cit. Garc. n. 259. citans Mascard. ubi ante. Put. cit. decis. 209. l. 2. Aymon. Felin. &c. & Rotam in Feltrina. benef. 18. Decemb. 1587. ed quod, ut Castrop. hac antiqua instrumenta loco testium deponentium de immemoriali succedunt.

7. Limitanda secundo; ut dicta enunciativa sint a personis non suspectis; siquidem enunciativa plurium instrumentorum antiquorum non habent vim publicae vocis & fama, si videntur emanasse a personis suspectis. Garc. nu. 257. & 258. citans Achill. ubi ante. Caputaq. decis. 337. P. Leuren. Fori Benef. Tom. III.

p. 3. & Rotam in Savina & Tarvis. plebis. 16. Decemb. 1588. Sic etiam non probaturas enunciativas, si processissent ab Episcopo tantum, cui non est credendum circa factas ab eo uniones, tradit Lott. cit. nu. 108. citans Alex. conf. 70. nu. 10. l. 3. Sic Card. de Luca de Paroch. d. 12. nu. 9. & 10. ait, solas enunciativas ipsius partis interessatae, seu praetendentis unionem, non esse habendas in consideratione. Et sic scripturas desumptas ex proprio Archivio monasterii v. g. contententis beneficium sibi unitum, non probare unionem, ut in terminis unionis bene firmetur in Vicentin. Paroch. 20. Jun. 1650.

8. Limitanda tertio, ut unio ex enunciativis instrumentorum antiquorum probari non possit, nisi concurrat longissima quasi possessio ipsius unionis. Chok. ad reg. 21. Cancell. de union. n. 38. Garc. loc. cit. n. 269. qui etiam n. 270. ait, huc facere, quod tradit Aymon. conf. 276. n. 32. & alii plurimi ibidem a se citati: nempe quod, licet alias in antiquis probationes leviores, seu praesumptivae, & conjecturales admittantur, hoc tamen locum habeat contra possessionem, contra quem actor debet plenissime probare, non obstante temporis antiquitate. Rejicit tamen Garc. n. 271. quod cum Aymon. de antiq. temp. p. 1. sect. viso in hac. l. n. 45. & sect. ult. n. 33. tenent Menoch. de arbit. l. 2. cas. 115. n. 4. Mascard. concl. 103. n. 17. Felin. in c. veniens. n. 16. & alii plures ibidem ab eo citati: sufficere nempe probationes leviores per indicia, conjecturas, vel famam in antiquis, etiam contra possessorem, qui nondum praescripsit: aitque Garc. id solum procedere, dum praesens status & possessio illius, contra quem agitur, non repugnant illis indicibus & conjecturis, seu intentioni agentis; vel quando ageretur de recuperanda re amissa, de qua amissa alias constaret.

9. Respondeo quarto: Probari unionem ex diuturnitate temporis. Garc. cit. c. 2. n. 229. citans Felin. in c. ex parte. n. 2. de testibus. & in c. causam que. de prescrip. n. 3. Tiraq. de prescrip. gl. 4. vers. 20. Menoch. presump. 80. n. 3. & 4. &c. Requiritur autem ad probandam unionem tempus immemorabile, vel quadragenaria cum titulo putativo. Castrop. loc. cit. ubi ait, probari unionem, si testes deponant de immemoriali, vel quadragenaria cum titulo. Garc. n. 251. citans quamplurimos, uti & n. 255. citans pro hoc claram decis. Rota in una Caputaquens. unionis. de mense Novemb. 1593. inter virtutes enim & operationes immemorialis illa est praecipua, quod ejus vigore allegari possit quicumque titulus de mundo melior privilegii Apostolici, vel contractus, &c. Card. de Luca de benef. d. 49. n. 14. ubi etiam, quod ex essentialibus requisitis immemorialis illud sit praecipuum, quod non doceatur de initio, quia eo posito, exclusa maneret immemorialis, ut Burrat. in addend. decis. 551. n. 1. & late decis. 101. p. 10. recent. n. 8. In probanda autem dicta immemoriali debet probari, quod beneficium semper possessum tanquam unitum. Garc. n. 232. citans Jo. And. in reg. qui contra. in 6. Et probationem quadragenaria cum titulo debere esse de visu, ait Garc. loc. cit. ex Put. decis. 209. n. 3. nec alleganti unionem esse factam, sufficere ad eam probandam probare possessionem 40. annorum cum fama tituli, tenet Garc. n. 244. contra Felin. conf. 2. a n. 16. Rebuff. in pr. cit. de union. n. 35. Hojed. de incomp. p. 2. c. 3. n. 14. & alios ab eo citatos,

Pp

ad quos

ad quos accedit Card. de Luca *de benef.* d. 49. n. 12. ubi, quod probetur unio concludenter per pacificam quadragenariam cum fama tituli, ex deductis apud Ottoboni *decis.* 179. n. 20. & late in *Bonon. Paroch.* 24. April. 1651. quorum doctrinam Garcias dicit esse contra textum *c. 1. de prescrip. in 6.* & licet hanc eorum doctrinam secuta sit Rota in *Alexand. S. Stephani* 2. Maij & 20. Jun. 1597. revocatas tamen ab ea esse postmodum in eadem causa 15. Februar. 1599. dictas resolutiones, ait *Garc. n. 246. & 247.* Et quamvis ea vera esset, ait tamen *Garc. cit. n. 245. in fine*, eam non procedere, ubi jus commune prescribenti resisteret, uti fit in proposito unionis, utpote odiosa.

10. Respondeo quintò: Ex confessione partis adversa non probatur unio, non secus ac ex ea probari nequit titulus beneficii, aut juspatronatus, ita ut ille, aut illud adjudicari alicui possit. *Castrop. loc. cit. Garc. p. 12. c. 2. n. 274.* contra *Caputaq. decis.* 244. n. 3. & 4. p. 3. *Mascard. conclus.* 14. d. n. 15. & c. apud *Garc. n. 273.* Nisi tamen ea confessio aliis conjecturis & adminiculis coadjuvaretur. *Garc. n. 276. Castrop. loc. cit.* Sed nec tunc quidem, seu concurrentibus cum confessione partis adversæ adminiculis & conjecturis adhuc probari posse unionem, si agatur ad illius Canonizationem, seu ad declarandum, beneficium esse unitum; sed tunc probandam vel per instrumentum, seu literas ipsius unionis, vel per dictas enunciativas antiquorum instrumentorum, vel immemoriam, aut quadragenariam cum titulo; secus, si non agatur ad illius Canonizationem, non secus, ac dicitur de jurepatronatus, ait *Garc. n. 280.* De cetero tamen hanc confessionem, etiam solam, actoris pretendens beneficium tanquam non unitum, sufficere ad imponendum eidem perpetuum silentium ad non impugnandam amplius unionem tradit *Castrop. loc. cit. & Garc. cit. n. 280. citans Aymon conf. 93. n. 5. Rotam decis. 44. de testib. in antiq.*

Questio 933. An, & qualiter sufficiant probationes adminiculate ad probandam unionem?

1. Respondet ad primum Card. de Luca *de Paroch. d. 12. n. 17.* sæpe à Rota firmatum; eas ad id sufficere, & ad *Trident. d. 8. n. 28.* ubi ait: ad probandam unionem adminiculate etiam præsumptiva, & adminiculate probatio, sed ea est difficilis.

2. Respondet quoque ad secundum *cit. n. 28.* quod hæc adminiculate probationes sint difficiles; eò quod adminiculis & argumenta debeant esse univoca, non autem æquivoca, & referibilia ad juspatronatus, vel subjectionem, aut censuationem. Ait etiam *cit. d. 12. de Paroch. cit. n. 12.* quod in huiusmodi probationibus adminiculis certa & determinata regula constitui non possit super singulorum adminiculorum, vel conjecturarum pondere & efficacia; eò quod, ut habet *ibid. & n. 18.* in uno casu aliqua conjectura seu præsumptiones sufficiant, eadem tamen, aut etiam majores in alio casu sint insufficientes; quia sic unius, vel respectivè alterius facti qualitas exigat: ideoque eadem individuales conjectura, & præsumptiones modò approbata, modò reprobata habeantur (intellige, in tribunalibus, etiam summis ac iisdem, ut Rota) idque cirra repugnantiam & contradictionem, seu mutabilitatem, ut vulgus credit, cum iustitia ac fundamento pro casuum di-

versa qualitate. Dum autem huiusmodi adminicula concurrunt cum observantia ac ultimo statu, nimirum provisionis & administrationis talis beneficii, de cuius unione dubitatur, dum v. g. illud non ut vacans collatum fuit, vel etiam in eo ab illo, cuius beneficio unitum pretenditur, constitutus Vicarius, &c. ea, etsi alias levia magnum pondus habent. *Card. de Luca loc. cit. n. 13.* Magni quoque facienda & ponderanda esse adminicula in hac materia unionis probanda, vel excludenda, quando illa deducuntur ex actibus recentibus, & post Concilium Trid. & Constitutionem Pianam, & sic ab anno 1574, secus, si concernant tempus antecedens, utpote quo plures irrepsissent in hac materia abusus, usurpationes, & male gesta, quæ dictum Concilium sustulit, ait idem *Card. de Luca loc. cit. n. 15.* Porò adminiculorum in hac materia unionis æquivocorum, adeoque nullam probationem constituentium (intellige se solis) plura refert *Card. de Luca cit. d. 12. n. 6. v. g.* quod Ecclesia, cuius unio controvertitur, sit constituta in castro aliquo, quod una cum toto territorio spectat ad monasterium aliquod unionem hanc pretendens: quod ipsum ratione temporalis jurisdictionis referri posse, ait, ad juspatronatus potius, quam ad unionem. Quòd Abbas pro tempore illius Monasterii actus plures jurisdictionales in tali Ecclesia exercuisset in Rectores, & Clericos illius; quos ipsos actus jurisdictionales ad juspatronatus quoque, vel aliam prerogativam referri posse, ait *Card. de Luca n. 11.* Quòd plures adint scripturæ antiquæ in Monasterii illius Archivo, enunciantes, quòd dicta Ecclesia recta per Presbyteros sæculares ad nurum Abbatibus amovibiles: ad quod dicit idem *Card. n. 10.* Archivium proprium non probare ad proprium favorem. Quòd Abbates pro tempore providerent de tali Ecclesia, dum ea Parochialis est, sine concursu constituendo Vicarium, quod tamen ultimum majoris ponderis videtur; ait enim idem *Card. ad Trid. d. 8. n. 32.* inter unionis effectus ille præcipuus est circa modum providendi Ecclesiam unitam; præsertim si illi animarum cura incumbat, uti & illud pertinentiæ universitatis honorum ac jurium Ecclesiæ talis, præsertim Parochialis, ut est ius percipiendi decimas; de qua pertinentia ait *Card. de Luca de Paroch. d. 10. nu. 6.* quòd ea principaliter inspicitur ad dignoscendam factam unionem; secus est de perceptione solummodò aliorum emolumentorum ex dicta Ecclesia, utpote sapiente solum patronalem quandam præminentiam, seu quandam patronalem præstationem in recognitionem protectionis, vel alicuius domini, vel ad pensionem, aut censum perpetuum, ut idem *Card. cit. n. 6.* quamvis tamen etiam stare simul possint, ut Ecclesia sit unita, & quòd decima, aliæque jura sint Vicarij & Ecclesiæ principali, seu Monasterio ratione curæ habitualis solvatur solum aliqua, etiam modica præstatio ex fructibus. *Card. de Luca de Decimis. d. 11. n. 7.* Vide de iustis præsumptionibus alibi dicta, ubi de unione præsumptiva Parochialis.

PARAGRAPHVS V.

De suspensione, dissolutione, & revocatione unionum.

Questio 934. An, quando, & qualiter suspendantur uniones?

1. Respondeo primò: In resignationibus in favorem solet à Papa dari suspensio unionum, uti & reservationum expectatarum, & aliarum gratiarum. Paril. de resig. l. 3. q. 7. n. 182. juxta dicta aliàs de resignatione beneficiorum unionum.

2. Respondeo secundò: In quacunque, quamvis generali suspensione unionum, quæ per Papam dari solet in resignationibus in favorem de beneficiis jam antè unitis, nunquam venit suspensio beneficiorum unionum in vim Decretorum Concilii Tridentini, nisi fiat de iis expressa mentio. Corrad. pr. benef. l. 4. c. 8. n. 6. ubi etiam habet formam, qualiter, dum datur hæc suspensio per Cancellariam, solet extendi, & in specie, seu in terminis suspensionis unionis Seminario facta hanc dicit esse praxin, ut aliquo modo de hac unione fiat mentio in supplicatione, quam aut diversimodè concipi, ut nimirum vel Resignatarius in dispositiva supplicationis dicat: *Supplicat igitur humiliter S. V. Petrus orator, quatenus specialem gratiam faciendò unionem de dicto beneficio Seminario N. ordinariâ, seu Apostolicâ auctoritate factam, illiusque vim & effectum hac vice suspendendo, ex hujusmodi vacatione effectum hujusmodi sortiri, aut locum sibi vindicari non posse, neque debere decernendo, resignationemque hujusmodi admittendo, &c.* Vel ut dicta suspensio petatur in clausula non obstantium, in calce primæ partis supplicationis, nempe: *non obstantibus præsentia unione de dicto beneficio Seminario Ecclesiastico N. ordinariâ, seu Apostolicâ auctoritate facta, quam, illiusque effectum ad effectum præsentis resignationis suspendere placeat, &c.* Addit etiam Corrad. quod, si de unione Seminario facta non fuisset facta specifica mentio, illa non comprehendatur in generali suspensione: quin & ait, pluries se vidisse, hujusmodi suspensionis petitionem, etiam pro prima vice, fuisse denegatam, ne contingat tales uniones nunquam ferè sortiri suum effectum, dum, si beneficium sic unitum de uno in alium resignetur, daretur processus in infinitum, & sic unio redderetur frustratoria contra mentem Papæ, qui tatenus concedit dictas suspensiones, quatenus credit, per hujusmodi resignationem citius unionem sortiri effectum; cum contingere possit, ut Resignatarius præmoriatur. Subjungit & aliam suspensionis talis concedendæ formulam, ac denique approbare videtur illud, nempe ut ad rescandam tot resignationes, Seminatum agat cum beneficiario, ut beneficium sic unitum ad favorem Seminario resignet cum reservatione pensionis super fructibus dicti beneficii, sive pro ipso resignante, sive pro alio ipsi bene viso, ut nempe sequatur effectus prædicta unionis, ablata occasione tot resignationum.

P. Leuren. Fori. Benef. Tom. III.

Questio 935. An, & à quo fieri possit dissolutio unionis?

1. Respondeo primò in genere: Qui unire potest, potest etiam dissolvere factam unionem; sicut qui potest condemnare, etiam potest absolvere. l. is qui potest. ff. de acquir. hered. juxta illud: *Quod iussit, verumque Prætor, contrario imperio tollere potest. l. quod iussit. ff. de re judic. Corrad. pr. benef. l. 2. c. 15. à n. 48. citans e. cum ex injuncto. de heret. & Rebuff. in pr. tit. de union. revocat. n. 15. male tamen allegans illud, qui institueret potest, potest etiam destituere; quod falsum esse, sæpe dictum est alibi. Garc. p. 12. v. 2. n. 362. Castrop. de benef. d. 6. p. 12. s. 4. n. 4. res enim, per quas causas nascitur, per eas & dissolvi potest, ut Castrop.*

2. Limitanda tamen est responsio, ut ij, qui non jure ordinario, sed solum consuetudine, præscriptione, privilegio unire possunt, non possint uniones à se factas dissolvere; eò quòd dissolvere est quid diversum ab unire, & consuetudo, privilegia, & præscriptio se non extendant ad contraria. Castrop. loc. cit. Azor p. 2. l. 8. c. 29 q. 5. citans Rebuff. ubi antè, n. 20.

3. Respondeo secundò in specie: Primò suspendere non tantum potest Papa uniones v. g. pro effectu resignationis beneficii uniti. Card. de Luca. de benef. d. 7. n. 2. sed & de potestate Papæ dissolvendi uniones quasvis non est dubitandum. Card. de Luca de benef. d. 46. n. 15. Azor loc. cit. Secundò Legatus de latere. Castrop. Azor. l. cit. Tertiò Episcopus, aliisque Ordinarius potens unire beneficia. Ventrigl. To. 2. annot. 8. s. 2. n. 32. Tond. qq. benef. p. 3. v. 156. n. 7. Barbof. juris Eccles. l. 3. c. 16. n. ult. Castrop. Azor. l. cit. Quarto Capitulum Sede vacante, si eo tempore unire potest. Castrop. Azor. l. cit.

Questio 936. Quas uniones dissolvere possint Legatus de latere, Episcopus, alique pollemtes in hoc potestate ordinariâ?

1. Respondeo primò in genere, posse eas omnes dissolvere, quas facere possunt. Castrop. loc. cit. Hinc

2. Respondeo secundò in specie: Legatus potest dissolvere uniones factas ab Episcopo; quia has ipse facere potuit; & contra Episcopus dissolvere factas à Legato potestatem ejus ordinariâ. Garc. loc. cit. n. 303. Azor, loc. cit. Item factas à Prædecessore suo. Ventrigl. loc. cit. n. 33. quia & has ipse facere potuit. Legatus, & Episcopus dissolvere potest uniones factas à Papa, siquidem Papa uniendo non tollit potestatem Ordinarii. Corrad. pr. benef. l. 2. c. 15. n. 51. Garc. cit. n. 303. Castrop. Azor. Ventrigl. l. cit. citans Rebuff. in pr. tit. de union. revocat. n. 16. Non tamen potest Episcopus dissolvere uniones, quas Papa fecit ex plenitudine potestatis, & non potestate ordinariâ. Card. de Luca de Paroch. d. 35. n. 8. Ventrigl. cit. n. 33. Garc. n. 304. cum Pet. de Perus. tr. de revocat. union. c. 4. uti nec id potest Legatus de latere Garc. ibid. ex eodem. Sic etiam Episcopus facere non poterit dissolutionem unionis facta à Legato de latere ex speciali commissione, quam is aliàs potestate suâ ordinariâ facere non poterat. Atque ita, uti unire non potest, ita nec potest dissolvere uniones beneficiorum exemptorum Episcopus; sed id spectat ad solum Papam, qui solus est Superior exemptorum. Azor. l. cit. q. 4.

cit. q. 7. Tond. q. benef. s. 3. c. 128. n. 4. citans Rebuff. in pr. de union. revocat. n. 22. Quamvis & Legatum de latere facere posse dissolutionem exemptorum satis indicet Tond. loc. cit. dum ait: Horum beneficiorum solus superior est Papa, vel Legatus de latere.

Questio 937. An ad dissolutionem unionis requirantur causae, & quae?

1. Respondeo primò: Requiritur causa justa & legitima; seu inferior Papà, sicut sine concurrente justa causa unire, sic nec sine illa dissolvere unionem potest. Ventrigl. loc. cit. n. 34. Corrad. l. 2. c. 15. n. 55. Garc. cit. n. 303. Castrop. loc. cit. n. 4. Card. de Luc. ad Trid. d. 8. n. 34.

2. Secundò: Haec causae sunt eadem in dissolvenda, quae faciendae unioni, nempe utilitas, & necessitas. Corrad. loc. cit. n. 46. Castrop. loc. cit. Garc. loc. cit. n. 305. Azor p. 2. l. 6. c. 29. q. 4. ubi: ob necessitatem evidentem, vel magnam Ecclesiae utilitatem jure unio dissolvitur. Sic ubi unio incipit esse noxia Ecclesiae, v. g. si inde fraudentur elemosinae, si pereat hospitalitas, si religio laxetur, dissolvi jure potest. Azor loc. cit. & ex eo Garc. Sic etiam cessante causa, propter quam facta fuit unio, ea dissolvi potest, & Ecclesia ad primum statum reduci. Card. de Luca de Paroch. d. 35. n. 8. Corrad. loc. cit. n. 44. Azor loc. cit. Garc. cit. n. 305, citans Caccialup. de union. d. 9. Rebuff. in pr. tit. de union. revocat. n. 1. & 2. Redundat hoc enim in manifestam Ecclesiae utilitatem, & augmentum cultus divini esse plures titulos beneficiales, quorum singuli suos distinctos Rectores habeant, qui inde congruenter vivere possint. Sic si cesset paupertas Ecclesiae, ob quam facta est unio, excrecentibus fructibus, dissolvi potest unio. Corrad. loc. cit. n. 45. Azor cit. q. 4. Dico dissolvi potest; nam etsi, dum Ecclesia ex tenui redit ad pinguiore reditus, justa sit causa dissolvendi unionem, non tamen propterea de se dissolvitur unio, aut ea dissolvenda est necessario. Garc. n. 306. citans Pet. de Perus. d. 3. q. 3. Cenzellin. in Clem. fin. v. defensor. de reb. Eccl. non alien. Sic si ob pestem, bellum, aliaque pericula, vel ob aëris intemperiem, soli sterilitatem, deficiente populo, unita fuit Ecclesia, redeunte dein populo dissolvi potest unio. Azor. loc. cit.

3. Respondeo tertio: Causa dissolutionis unionis, nempe dicta Ecclesiae necessitas, vel utilitas non minus ad dissolutionem unionis, quam ad faciendam unionem est probanda. Castrop. l. cit. A. 20. cit. q. 4. in fine. citans Oldr. cons. 261. Etsi non ita clarè, ac ea probanda est ad unionem faciendam; cum unio sit odiosa, & juri communi adversa, quod vult, ut beneficia singula singulis conferantur, & sic per rescissionem unionis Ecclesia redeat ad primum statum juri communi magis conformem. Castrop. loc. cit.

Questio 938. Qualiter dissolvenda uniones, seu an & quae in earum dissolutione requirantur solemnitates?

1. Respondeo primò in genere: requiritur quoque in dissolutione unionis aliqua solemnitas. Ventrigl. loc. cit. n. 34. Card. de Luca de Paroch. d. 35. n. 9. & ad Trident. d. 2. n. 34. ubi: in Ecclesiis inferioribus praesertim Parochialibus, dum agitur de unione accessoria & subjectiva, vel etiam de altera, qua aequè

principalis dicitur, adeò, ut de factio unus utriusque sit Rector, dissolutio, cum dicatur species alienationis, exigitur vigorosas solemnitates & causam, ideoque ubi Apostolica auctoritas non accedat, non de facili verificabilis est, ut dicitur illius dissolutionis; quia cum sola Ordinarii auctoritate fit.

2. Respondeo secundò in specie: haec solemnitates requiruntur primò cognitio causae dissolutionis faciendae; non secus enim ac in faciendae unioni est cognitio requiritur. Corrad. l. cit. n. 52. Tond. q. benef. p. 2. c. 156. n. 4. Barb. juris Eccles. l. 3. c. 16. n. ult. Ventrigl. l. cit. n. 34. Garc. l. cit. n. 307. citans Pet. de Perus. de revocat. union. c. 3. 4. 5. Rebuff. in pr. tit. de revocat. union. an. 24. Secundò consensus Capituli. Corrad. l. cit. n. 52. & 55. Barb. l. cit. Azor. l. cit. q. 5. in fine. Castrop. l. cit. Garc. cit. n. 307. citans Pet. de Perus. & Rebuff. ubi ante. Tertio vocatio eorum omnium, quorum interest, unionem non dissolvi. Tond. l. c. Azor. l. cit. q. 6. Corrad. cit. n. 55. Ventrigl. c. n. 34. Castrop. cit. n. 4. Garc. n. 208. citans Pet. de Perus. ubi ante. c. 6. Rebuff. n. 26. Hinc igitur primò vocandus necessario est Rector beneficii uniti, seu qui illud unitum suo beneficio possidet, & nisi ille vocetur, dissolutio est nulla. Azor. l. cit. q. 6. Castrop. l. cit. Tond. l. cit. n. 5. cum agatur de dissolutione juris etiam quaesiti. Tond. ibid. Dum autem dissolutio unionis non habet effectum suum nisi post mortem Rectoris, seu possessoris illius beneficii uniti, hic vocandus non est; cum nullum ei creetur praerudicium. Ventrigl. l. cit. n. 34. Secundò vocandus est etiam Vicarius, qui in unita Ecclesia moratur, eamque administrat; quia & ejus causa agitur. Castrop. l. cit. Azor. cit. q. 6. Tertio, dum ea dissolutio fit vacante beneficio principali, cui unitum erat illud aliud accessorie (idem est, si fiat vacante beneficio, cui aequè principaliter unitum, hoc enim non minus vacat, quam illud, dum hac unio non tollit titulum, adeò que non impedit dictam vacationem) vocandus est defensor beneficii. Tond. cit. n. 5. Castrop. l. cit. Garc. n. 308. citans gl. in Clem. fin. de reb. Eccl. non alien. v. vacabat. Pet. de Perus. l. 3. Rebuff. ubi ante n. 13. quia dum unio facta est ex causa necessitatis, vel utilitatis Ecclesiae, ac proinde jam quaesitum jus & utilitas Ecclesiae, dum agitur de se jungendo iterum beneficio ab illa, adeoque hic interveniat alienatio; cum possessorem non habeat, habere debet defensorem, qui unionem defendat, & dissolutionem impediat. Tond. Castrop. l. cit. Quartò Patronus, seu is, qui per unionem jus patronatus amiserat, cum ejus interest, utpote ad quem dissoluta unio hoc jus redit. Castrop. l. cit. Azor. cit. q. 6. Quintò Praelatus utriusque dioecesis, si beneficia unita ad diversas dioeceses spectant. Castrop. l. cit. Azor. cit. q. 6. Corrad. cit. n. 15. n. 56.

Questio 939. An, & quae uniones ipso jure, ac sine opera Episcopi, aut alterius resolvantur?

Respondeo: Uniones, annexiones, incorporaciones Monasteriorum, Prioratuum, Praepositarum, dignitatum, personatum, administracionum, officiorum, & cujusvis qualitatis aut generis beneficiorum, quibuslibet aliis similibus, aut etiam fabricis, pive locis factae dissolvuntur ipso jure, habenturque pro non factis, beneficiaque reducuntur ad statum pristinum, possuntque tanquam vere vacantia à Sede Apostolica impetrari. si non

si non solvantur de iis quinquennaria, & de iis solvendis obligatio fiat. Sic enim expresse statuit Paul. II. per constitutionem suam datam Anno 1469. *id est in Bullario 6. hujus Pontificis §. 6. & 5.* ut Monasteria, Prioratus, Prepositura, dignitates &c. & quaecunque alia beneficia unita, pro quibus aliis Camera Apostolica annata seu alia jura solvi consueverant, vel qua debebant annata, aut medietas anni unitus, impolterum (hoc est, facta jam eorum unione) solvant, seu de iis solvantur singulis quindecim annis perpetuo secuturis, & ii, quorum interest, infra anni spatium se in eadem Camera efficaciter, & cum effectu ad hanc solutionem obligare debeant; & nisi hac praesent, dictorum beneficiorum uniones penitus resolvantur, & ea beneficia ad pristinum statum redeant. *Lott. l. 1. q. 29. n. 1.* Quam dein constitutionem post plures alios Pontifices Paulus IV. in Constit. 1580. *ca. lenc. feb. in Bullario 17.* confirmavit, extenditque ad omnes Congregationes tam saeculares, quam regulares, ut videre est apud *Lott. ibid. n. 2.* Eandem Constit. Pius V. sub iisdem & fortioribus decretis innovavit *Constit. sua 28. expresse* quod extendit ad uniones factas quibusvis Cathedralibus ac Metropolitanis, seu Collegiatis Ecclesiis, aut Capitularibus mensis, etiam pro quotidianis distributionibus, ac aliis utilibus, nec non Collegiis, Universitatibus, Congregationibus quorumvis Ordinum monasterii, domibus, Hospitalibus, fabricis, ac utriusque sexus personarum piis locis, quamvis privilegiatis ac exemptis, sub quibuscunque tenoribus & formis, apostolica auctoritate, seu aliis quomodolibet. *Lott. loc. cit. n. 3.* Eandem adhuc magis roboravit, ac extendit Sixtus V. in Constit. data 14. Maii 1586. in Bullario 33, ut videre est apud *Lott. loc. cit. n. 4.* Porro Papam ejusmodi uniones ipso jure resolvit, seu resolutas declarasse sic probat *Lott. loc. cit. n. 8.* nimirum quod licet dictio illa *penitus*, qua utitur Papa, non semper sit lata sententia, & quandoque hanc vim perdat ex subiecta materia, tamen in praesente casu, ubi Constitutio pergit explicare sui decreti effectum, dum vult eadem beneficia tanquam vere vacantia posse impetrari, dictio haec *penitus* hujusmodi vim suam retineat, & inducat canonem latae sententiae. Pro quo citat *solutum. §. fin. in sortem, ad finem, de pignori. au. Tirag. ad l. si inquam, v. revertantur. n. 108. c. de revocat. donat.* Addit nihilominus *Lott. n. 9.* se arbitrari, impetrantem ex hoc capite pro fruenda hujusmodi vacatione non habere satis, si simpliciter ostendat, cessatum esse in solutione quinquenniorum, vel in obligatione de iis solvendis, cum dicta Constitutio dicendo: *si a solutione aut obligatione praemissis cessare praesumpserit: exigat contemptrum, qualem verbum praesumpserit inducit, vergens ad dolum & temeritatem juxta Card. in Clem. 1. n. 22. de privileg. & Nav. in man. c. 27. n. 155. & seq.*

Questio 940. An, & qualiter uniones, an invalidae factae per Praedecessores, vel etiam per ipsum Papam, ab Episcopo Successore examinentur, & retractentur?

Respondeo primo: Jure communi permissum est Episcopo, uniones per suos Praedecessores quandoque factas revidere, & si minus Canonicae sint, dissolvere & irritare. *Lott. l. 1. q. 29. n. 10.* Sic etiam *Castrop. de benef. d. 6. p. 12. §. 3. n. 2.* ait, quod licet per Tridentinum *sess. 7. c. 6.* non con-

P. Leuren. Fori Benef. Tom. III.

cedatur Ordinariis potestas examinandi uniones 40. annis ante publicationem Tridentini factas, cum tamen id per dictum Concilium iis non denegetur, posse Ordinarios eas examinare juxta formam juris communis, pro ut *Barbol. ad cit. locum Trid. dicit*, resolvit S. Congregationem. Sic quoque possunt Episcopi vi juris communis examinare, & inventas factas perperam declarare irritas uniones factas, & effectum fortis post Tridentini publicationem; siquidem Trident. Decretum de his unionibus nihil disponit, sed solum de unionibus factis ante sui publicationem a 40. annis, & de factis post sui publicationem non fortis effectum. *Castrop. loc. cit.*

2. Respondeo secundo: Posse Episcopos seu Ordinarios vi dicti decreti Trid. uniones perpetuas a 40. annis ante factas examinare, & qua per obreptionem vel subreptionem obtentae inventae fuerint, irritas declarare. *Castrop. loc. cit. Azor. p. 2. l. 6. c. 28. q. 22.* Et quidem respectu unionum obtentorum per sedem Apostolicam (utpote quas retractate permissum non est a jure Episcopis, ut ait *Lott. loc. cit. n. 11. citans c. 1. & 2. de confirm. util. vel inutil. & Rorem de iis 737. n. 2. p. 2. recent.* intellige, si factae potestate supra, & non ordinaria, ne dictis supra contradicatur) obreptione & subreptione opus fuisse dicta Trid. dispositione, qua ad hoc tanquam Sedis Apostolica delegati constituerentur, tradit *ibid. n. 12.* *Lott. ubi etiam ait*, ideo a Concilio restrictum hoc tempus ante sui publicationem ad 40. annos, ne nimia & summa alias induceretur rerum perturbatio, si altius ascenderent Episcopi ad convellendas uniones factas antiquiore tempore; conformius tamen a se dictis, nimirum, quod non prohibeantur vi dicti Decreti Episcopi examinare etiam uniones antiquiorum temporum. *Castrop. hanc dat rationem*, nimirum illud tempus ad 40. annos determinatum, ut praediret, quod minus possessor uniti beneficii contra hoc examen se tueri posset praescriptione sepe quadragenaria. Quadraginta vero anni illi computandi sunt ex die, quo Concilium auctoritate Papae promulgatum est. *Lott. loc. cit. n. 14. Azor. loc. cit. q. 22.* Porro constituendo quod ad hoc examen Ordinarium sedis Apostolicae Delegatum, impedit, ne possessor talis beneficii uniti appellare posset ad Metropolitanum (cum ab eo, qui ut Delegatus procedit, non nisi ad delegantem detur appellatio *c. super quasi. §. porro. de off. deleg.*) & ne Delegatus a latere posset se in illa causa intromittere, *Castrop. cit. n. 2. in fine. citans Sanch. in Decalog. c. 29. n. 179.*

3. Respondeo tertio: Uniones vero a dicto tempore ante Concilii promulgationem factas, & effectum novum in toto vel parte fortis, & deinceps ad cuiusvis instantiam faciendas, si eas legitimis, aut aliis rationabilibus causis coram loci Ordinario, vocatis, quorum interest, verificandis factas fuisse constiterit, idem Concilium *loc. cit.* constituit, tanquam per subreptionem obtentas praesumendum ab Episcopo, & nisi aliter a Sede Apostolica declaratum fuerit, habendas pro carentibus omnino viribus. *Castrop. Azor. l. cit.* Proinde jam Ordinario exposcenti literas unionis, haec exhibenda sunt. *Azor. cit. q. 22.*

4. Respondeo quarto: Illud praeterea a Trid. *sess. 7. c. 7.* disponitur: *ut beneficia omnia Curata, quae Cathedralibus, Collegiatis, seu aliis Ecclesiis, vel monasteriis, beneficiis seu Collegiis, aut piis locis quibuscunque unita & annexa reperiuntur, ab Ordinariis locorum singulis*

annis visitentur, qui sollicitè providere procurant, ut per idoneos Vicarios, etiam perpetuos nisi ipsi Ordinarii pro bono Ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur, ab his cum tertia partis fructuum, aut maiore vel minore arbitrio ipsorum Ordinariorum portionem, etiam supercerta re assignanda, ibidem deputandos, animarum cura laudabiliter exercatur, appellationibus, privilegiis, exemptionibus, etiam cum iudicum deputatione, & illorum exhibitionibus quibuscunque etiam praemissis minime suffragentur, &c. de quorum Vicariorum Constitutione in dictis beneficiis unitis vide Castrop. cit. §. 3. à n. 3. per plures num. seq. Azor. l. cit. c. 29. q. 1. 2. 3. & dicta à nobis aliàs de Vicariis.

Questio 941. An, & qua uniones revocentur per Reg. Cancell. 21 seu Revocatoriam unionum?

Respondeo primò: Uniones sortita suum effectum quò ad executionem, hoc est, securà tandem vacatione per cessum vel decessum beneficii uniti (dum unio facta beneficio pleno) & apprehensà ejus possessione, vel apprehensà solum ejus possessione, dum facta unio beneficio vacante, non subjacent, seu non comprehenduntur regulà revocatoria unionum, annexionum, incorporationum. Carol. Ant. de Luca observat. ad §. 2. Ventrigl. de unio. n. 8. Card. de Luca de benef. d. 43. n. 4.

2. Ampliatur hoc ipsum, ut non intret hæc regula, si unio etiam in parte tantum sit sortita effectum suum: negativa enim, quòd unio non sit sortita effectum, negat totum, & in dubio potius est pronuntiandum pro non revocatione. Garc. p. 12. c. 2. n. 294. & sic, si unio facta de pluribus beneficiis simul, sufficere ad hanc exclusionem à dicta regula, quòd habuerit effectum de aliquibus. Carol. Ant. de Luca. l. cit. ubi sic inquit: quoniam unio est unica plurium beneficiorum sub unica expressione valoris, ac unica structura verborum, tanquam actus individuus, qui juxta receptam regulam non potest pro parte valere, & pro parte non: unde propterea quoties actus in parte effectivatus est, dicitur effectivatus in totum ad effectum; ut non subjaceat huic regulæ revocatoria, ne una eademque res diverso jure censetur. citat pro hoc Cavaler. decis. 403. n. 6. decis. 449. n. 7. Burfatt. decis. 870. n. 4. & Rotam. Dum ad instar sententiæ continentis plura capitula separata, sive ad instar ejusdem scripturæ continentis plures gratias distinctas, unio plurium beneficiorum dici posset distributiva in singulis cum eorum distincto valore, distinctaque dispositione, adeò, ut dici possit tot uniones quot sunt beneficia. Card. de Luca. loc. cit. similia ferè ex eodem Cavalerio cit. decis. 449. habet Corrad. l. 2. c. 5. à n. 31. ubi, quòd, cum fuissent unita plura beneficia pro erectione aliquot canonicatum, dum eorum beneficiorum valor fuisset sub unica expressione coacervatus, dos etiam censetur unica; & sic, cum unio effectivata in uno ex illis beneficiis unitis sub eadem expressione valoris, censetur effectivata quò ad reliqua beneficia. Unde etiam parum refert, ut idem Corrad. n. 3. si facta non fuerit unica unio omnium beneficiorum, sed plures ac distinctæ, & proinde per effectuationem unius inferri non possit ad effectuationem alterius; quia unio talium beneficiorum unica tantum dicitur, non autem plures; cum appareat unicam dispositionem unicam orationem ac structuram pendentem ab iisdem verbis: unimus, annectimus & incorporamus, in fine ipsius orationis appositis. Præsertim verò id ipsum

confirmatur ex eo, quòd, ut dictum ipsorum beneficiorum valor non fuit distincte ac separatum, expressus, sed in simul, & ita in consilio in unum summam coacervatus, quòd clare probat unio in tantum unionem, non plures & distinctas esse factas, si verò facta revera fuisset non unica unio, sed plures & distinctæ, ab effectuatione unius non liceret inferre ad effectuationem alterius; & sic eadem gratia pro una parte esset valida, pro altera non, & hec, licet cesset quò ad partem, invalidam, subsistat quò ad validam.

3. Respondeo secundò: Complectitur igitur dicta regula totas uniones factas, non tanquam adhuc effectivatas, uti & faciendas in vim mandati Apostolice, seu quæ Papa mandaverat fieri in partibus, si de narratis consisteret, ita ut, si interea moriatur Papa mandans, omnes illa concessionibus & mandata super unionibus, annexionibus, incorporationibus per promulgatam à subsequente Papa hanc regulam sint irrita, & nullius firmitatis. Chok. ad hanc reg. n. 14. secus autem foret, seu non censentur revocata hæc uniones factæ & faciendæ, si post mortem quidem Papæ concedentis, aut promulgationem tamen hujus regulæ per subsequentem Pontificem factam, gratia de unio, vel unio facta haberet effectum. Chok. loc. cit. n. 18.

4. Respondeo tertio: Ut tolleretur omnis controversia, & dubitatio, Julius III. in hac regula à se edita designavit, & expressit omnes harum unionum non sortitarum effectum, aut faciendarum species, dum ait: omnes uniones, annexiones, incorporationes, suppressiones, extinctiones, applicationes & dismembrationes; etiam perpetuas uniones factas quibuscunque Ecclesiis, monasteriis, dignitatibus, universitatibus, & aliis piis locis, ac qua, cunque concessionibus & mandata super unionibus, annexionibus, incorporationibus faciendis. Chok. loc. cit. n. 15. quin &, ut hodie adhuc hæc regula edita est, complectitur omnes enumeratas jam unionum harum species & modos. Gonz. gl. 5. §. 7. n. 43. iisdem omnino verbis Julii III. utens, Corrad. in pr. benef. l. 2. c. 15. n. 21. ubi adhuc amplioribus verbis hoc ipsum explicat, dum ait: existat regula Cancell. 13. quæ summus Pontifex omnes uniones, annexiones, incorporationes, suppressiones, extinctiones, applicationes, dismembrationes, etiam perpetuas de quibuscunque Cathedralibus, nec non aliis Ecclesiis, Monasteriis, dignitatibus, personatibus, officiis, & beneficiis Ecclesiasticis, earumque donibus, praediis & locis per cessum vel decessum, aut quamvis aliam dimissionem vel amissionem, quavis unquam fuerint, invicem, vel aliis Ecclesiis, monasteriis & mensis, etiam Capitularibus, dignitatibus personatibus, officiis, beneficiis, ac piis & aliis locis, universitatibus, etiam studiorum generatim, & Collegiis, etiam in favorem S. R. E. Cardinalium, seu Ecclesiis ac monasteriis per eos obtentis, quomodolibet Apostolica vel alia quavis (non tamen Tridentina) auctoritate, nec non pro fundatione seu dotatione, augmento vel conservatione Collegiorum, &c. qua non sunt sortita suum effectum ac qua, cunque concessionibus, mandata super unionibus, annexionibus, incorporationibus, & aliis praemissis faciendis revocavit & cassavit. Sic Lot. l. 1. q. 22. n. 181. ait: utcunque pretendatur unio facta, sive suppressio, sive dismembratio; suppressio etiam ab ipso Papa facta, si non est sortita effectum ante Papæ obitum, subjacet regulæ Cancell. revocatoria unionum, & l. 1. q. 29. n. 15. quisque Papa per dictam regulam revocavit omnes uniones, suppressiones & dismembrationes, sive Apostolica sive quacunque alia auctoritate factas, quæ suum effectum non sunt sortita. Et ead. q. 29. n. 25. ubi, quòd extra hos

duos casus, nimirum unionis sortita effectum, & facta in virtute Tridentini Papa per hanc regulam declarat, se omnino irritare quasunque uniones cum quibuscunque clausulis & decretis factas, a deo, ut non obstat clausula præservativa à futuris regulis, tam suis quam Successorum; eò quòd cum regula procedat per viam legis cum clausula; ut obstantia habeantur pro expressis; satis dicitur huic præservativæ derogatum; neque enim prædecessor imponere potest legem successori, juxta e. *innotuit*, 20. §. *quamvis* de elect.

5. Respondeo quartò in specie ad hoc, de quo fortè adhuc dubitari poterat; cum per verba illa: *quomodolibet Apostolica*, vel alia auctoritate quacunque facta: revocentur uniones non sortita effectum per Pontificem prædecessorem, & per ipsam Sedem Apostolicam, etiam Consistorialiter, & ex certa scientia, & motu proprio concessa: a fortiore quoque revocata videntur uniones factæ per Legatos aut Ordinarios, utpote quæ debiliores censeri debent, cum concessa sint ab habentibus minorem potestatem. Corrad. *l. cit.* n. 22. citans Mandol. *ad hanc reg.* q. 6. n. 10. Contrarium tamen sentire videtur Chok. *ad hanc reg.* n. 15. ubi ait: *procedit in unionibus factis non solum quacunque auctoritate Apostolica, sed etiam quacunque alia, non tamen ordinaria, vel auctoritate Concilii Tridentini.*

6. Excipiuntur nihilominus & præservantur, seu non comprehenduntur sub ea regula uniones non effectuatæ, factæ in virtute seu in executionem decretorum Trid. Chok. *ad hanc reg.* n. 16. Paris. *de resign.* l. 2. c. 9. n. 58. Corrad. *cit.* n. 21. & 23. Gonz. *l. cit.* n. 46. Lott. *cit.* q. 29. n. 15. & *cit.* q. 28. n. 181. nempe quatenus dictum Concilium decrevit uniones fieri ex aliqua harum trium causarum: nimirum pro erectione Seminarii sess. 23. c. 18. dum in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata insigni sunt præbendæ adeò tenues, ut cum distributionibus quotidianis non sufficiant decenti Canonicorum gradui pro loci & personarum qualitate sustinendo, sess. 24. c. 15. dum Ecclesia curata adeò est pauper, ut aliter ita ut illius pro dignitate nequeat conservari. sess. 21. c. 5. pro ut hoc ipsum etiam expressum in regula hac edita à paulo V. apud Chok. *loc. cit.*

7. Secundò excipiuntur uniones factæ pro fundatione, dotatione, augmento vel conservatione collegiorum, & aliorum piorum & religiosorum locorum, ad fidei Catholica defensionem & propagationem, bonarumque artium cultum, ut in ipsa regula dicitur. Chok. *loc. cit.* n. 17. Gonz. *loc. cit.* n. 47. cum communi.

8. Tertio excipiuntur quoque uniones ex causa dotis, & necessaria loci alicujus, aut rei piz. Chok. *cit.* n. 17. citans Crescent. *dec.* 1. de Paroch. in fine. Mandol. *ad hanc reg.* q. 3. Caputaq. *decis.* 42. p. 3. Gonz. n. 48. Garc. p. 11. c. 2. n. 282. Corrad. *loc. cit.* n. 26. mordicus tentum dicens suo tempore. Lott. *l. 1. q. 29. n. 15.* citans plures pro hoc Rotæ *decis.* Unde ait idem Lott. quòd in *Toletan.* 28. Jan. 1610. obiter dictum, nempe modernas regulas complecti etiam uniones factas pro dote, & in augmentum cultus divini, minimè admitti, si ad dotem necessariam, augmentumque cultus divini necessarium referatur. & sententiam hanc, nempe non comprehendit dictas uniones factas causâ talis dotis, firmatum esse etiam secundum modernas regulas à Rota in *Aleriensis benefic.* 15. Jan. 1618. dispositio siquidem quantumcumque generalis non videtur tollere privilegium specialiter à jure concessum. Corrad. *loc.*

cit. n. 24. ex *Ruin. conf.* 45. n. 12. l. 5. & lex seu statutum generaliter loquens non extenditur ad causam dotis in ejus præjudicium. Corrad. *ibid.* ex *Cozad.* in *conf.* 43. col. 2. Paris. *conf.* 81. n. 9. vol. 3.

9. Ampliatur quoque hæc sententia, ut procedat, siue facta unio pro dote beneficii jam erecti, siue in ipsa ejus erectione; quia sicut regula non revocat erectiones, ita nec uniones illis consecutivas. Lott. *loc. cit.* n. 16. citans Seraph. *decis.* 982. n. 1. quem secuta sit Rota in *citata Aleriensis.* Card. de Luca de *benef.* d. 43. n. 5. ubi, quòd unio, quæ principaliter fit pro nova erectione dignitatum, vel beneficiorum, dicitur accessoria tanquam dos beneficii alterius de novo erecti, & consequenter attenditur effectuatio gratiæ principalis, quæ secum trahit effectuationem unionis tanquam accessoriæ, pro quo præter Seraph. jam citatum citat insuper Cavaler. *decis.* 449. n. 6. & addit: quia hoc non est suppressio, vel minuere numerum beneficiorum, sed potius ita commutare de una specie in aliam, & beneficia, quæ erant simplicia, convertere in dignitates & Canonicatus, casus non cadit sub regula, intellige, si revocatoria unionum. Corrad. in *pr. benef.* l. 2. c. 15. n. 27. ubi, quòd quotiescunque unio fit pro erectione alicujus beneficii, dicitur facta pro augmento cultus divini, quo casu regulariter nec unio, nec dismembratio subjacet regulæ, & filius n. 65. ubi, quòd à Rota in *Auximensi.* union. 3. Jul. 1617. resolutum, non obitare, seu non intrare regulas revocatorias unionum, dum unio facta pro dote necessaria in creatione Parochialis in Collegiatam; cum sit facta in augmentum cultus divini, quòd necessariò resultat ex erectione Parochialis in Collegiatam cum numero Canonicorum & Præbendatarum; nihilque referre, Ecclesiam illam ante habuisse dotem; quia licet ea sufficiens fuisset pro Curatis tunc interservientibus, non tamen erat sufficiens ad numerum Canonicorum, qui postea in erectione novæ Collegiatæ auctus fuit, pro quorum manutentione erat necessaria talis unio. Et clarè usque. à n. 34. ubi: *premissa sibi locum vendicant hædum; ubi agitur de unione facta beneficio jam erecto; verum etiam in ipsa erectione, dum ea petitur à Papa, dum enim hujusmodi suppressio & extinctio fit pro dote Ecclesie, quæ erigitur, cum erectio valeat, nec per ullam aliam regulam revocetur, congruum est, quòd etiam accessorium ejus naturam sequatur; & sic, cum gratia erectionis non exspiraverit per dictam regulam, consequens est, ut neque unio, quæ fit pro ejus dote necessaria, non exspiraverit per illam.* Licet, ut ait Corrad. n. 38. aliud dicendum, dum ubi in literis unionis daretur certa forma, puta, quia dictum, quòd erectio fiat postquam fuerit facta dismembratio fructuum; quia ubi non fuit prius facta erectio, non subsistit ista dismembratio, & cum sit nulla, subjacet regulæ revocatoria. Vide eundem de his pluribus *num seq.*

10. Limitatur è contra hæc sententia, ut solum locum habeat in unionibus, quæ sunt ex causa dotationis necessaria, vel augmentatione dotis necessaria, ita ut si fiat ex causa solum commodioris sustentationis, subjiciantur adhuc regulæ. Garc. *cit.* n. 282. & recitata ab eo *decisio* Rotæ, ubi in fine dicitur, habere id locum solum in dote necessaria, non autem augmentativa, per quòd intelligitur augmentum, quòd est supra præcisam necessitatem, & congruam sustentationem. & n. 182. citans pro hoc Rotam in *Mediolan. dismemb.* 16. Nov. 1594. ubi dicitur: unio non sortita effectum revocatur, quando non fuit facta causâ necessitatis; sed voluptatis

aut utilitatis. *Lott. l. 1. q. 29. n. 21.* ubi dicitur anio esset in facta pro commodiore sustentatione, jam hinc dicitur excludi causa necessitatis, & subijci regula revocatoria, uti hoc ipsum resolutum dicitur in *Toletan. 13. Jan. 16. 8. & 28. Jan. 1610. Card. de Luca. cit. d. 43. n. 5.* ubi quod si cessante practica necessitate, unio principaliter non tam respiciat Ecclesiam, ejusque cultum ac servitium, sed potius majorem dotationem seu commoditatem possidentium ipsas prabendas seu canonicatus, subjacet regule. *Corrad. loc. cit. n. 28.* ubi ait: dummodo tamen augmentum sit necessarium, non autem voluntarium, & filius *ibid. n. 59. juncto. n. 61. & seq.* ubi, quod Pius V. univ. verat, vel potius univ. demandat Præceptoriam aliquam mensæ Capitulari Neapolitanæ, quæ dein, dum necdum effectuatâ fuisset, à Successore Pij V. fuit collata clericis; eò quod dicta Præceptoriam fructus fuissent pro illorum canonicatum dotis augmento applicati, absque aliqua expressione, quod prædicta Ecclesia ob tenuitatem fructuum aliquod sentiret in divinis detrimentum, aut cultus divinus in ea augeretur; sic videbatur facta non pro dote necessaria, sed augmentativa, quæ regula revocatoria minime resistere poterat, similiter in una *Metensi unione*, ut habet *Corrad. n. 64.* cum Clemens VIII. mandasset supprimi quandam Parochialem, & uniri mensæ Conventuali alicujus Monasterii, eaque unio non fuisset effectuatâ, supervenientibus regulis revocatoriis Leonis XI. & Pauli V. remansit revocata; eò quod non probabatur facta pro necessaria, sed tantum pro commodiore sustentatione dicti Conventus, ut apparebat ex verbis dictæ unionis, nempe: *ex hoc sustentationi & necessitatibus Prioris & Conventus non modicum consuleretur, ex indeque ipsi divinis laudibus commodius & efficacius insisterent, &c.* Atque ita in fine prædictæ decisionis conclusum fuerit, hodie per modernas regulas expressè revocari uniones factas etiam pro augmento dotis (intellige, non præcisè necessario) vel pro conservatione (intellige iterum, non præcisè necessaria) piorum & religiosorum locorum. Vel etiam ad erectionem novi beneficii, ita ut, si erectio hæc non fuit necessaria, sed voluntaria, & pro majore commoditate populi, semper iuret regula revocatoria, pro quo citat *Achill. de Grass. decis. 1. super dicta reg. & decis. Rota in Toletan. Capellan. Porro dicitur dos vel augmentatio dotis necessaria, ita ut concludatur ad cultum divinum, ubicunque vel nulla dos est, vel ita tenuis, ut profus insufficientis sit ad sustentationem ministrorum, dum, ut *Natta. cons. 37. n. 3.* paria sunt nullam habere dotem & habere dotem insufficientem. *Lott. loc. cit. n. 17. & 18. Corrad. loc. cit. n. 62.* Et in hoc plurimum attenduntur verba unionis, an videlicet dicatur, eam fieri quia alias non possunt ibi ministri commodè haberi, quo casu concluditur ad necessitatem nisi forte adest, qui cogi posset ad dotationem vel dotem augendam; secus ac si diceretur, ut commodius habeantur vel sustententur ministri; ut pote quod commodius supponit positivum, nempe satis commodè. *Lott. loc. cit. n. 19.* pro ut idiplum patet ex decis. illa *Rotæ in dicta Metensi.**

11. Quarto (si tamen casus hic diversus est à præcedente) excipiuntur uniones factæ ad augmentum cultus divini. *Gonz. loc. cit. n. 49.* citans *Caputaq. decis. 42. p. 3.* *Mohed. decis. 7. de privileg.* *Corrad. loc. cit. n. 24.* citans *Rotam decis. 1143. p. 3. divers.* dicentem, non esse verisimile, quod Papa voluerit

per regulam revocatoriam unionem etiam perpetuam revocare unionem factam ad augmentum cultus divini. Quamvis idem *Corrad. n. 28.* dicitur quod, cum regula revocatoria loquatur minus generaliter, adeoque omnes casus in ea expressos comprehendere videatur, ut ex ejus locutura patet, omnes supradicti casus videantur expressè comprehendi, & non excepti (dicitur namque in regula: *nec non profundatione seu dotatione & augmento revocavit*) se nihil habuisse contra regulam circum præmissa, sed tenuisse eam semper, pro ut faceret, & ad verbum accipendam esse; vel saltem se accepit rem diu fuisse, donec vidisset plures decisiones super intellectam prædictorum regule præsertim *decis. 1143 p. 3. Divers.* in qua tentum, hujusmodi uniones non comprehendit; eò quod in dispositione generali revocatoria non sit credendum, quod dispensans voluerit comprehendere ea, quæ concernunt augmentum cultus divini. Et illam *Thavis. 43.* quam recitat *Garc. n. 283.* in qua dicitur, quod regula revocatoria unionum non fortitarum effectum, licet habeat ambigua verba (de qua ambiguitate vide etiam *Lott. l. 1. q. 29. n. 15. & sequenti*) etiam de unionibus factis in favorem Ecclesiarum & piorum locorum, tamen non intelligatur revocata unio facta pro constitutione dotis, vel etiam augmento cultus divini; quia si de iis Papa cogitasset, vel interrogatus esset, ita verisimiliter respondisset. Videtur tamen idiplum iterum restringendum cum *Lott. loc. cit. n. 15.* ad augmentum necessarium cultus divini juxta dicta ad eandem præcedentem. Atque ita hæc exceptio, uti & præcedens, nempe causa necessitatis deducitur ex definitione mentis legislatoris, quod is censetur dictas uniones ex dicta necessitate factas voluisse comprehendere. *Lott. loc. cit. n. 22.*

12. Quinto excipiuntur regula uniones factæ in vim contractus, vel ex causa onerosa. *Chok. loc. cit. n. 17.* *Garc. p. 12. c. 2. n. 297.* citans *Puteum. decis. 337. l. 1.* (ubi etiam declarat, quando unio fiat per vim contractus) *Mohed. decis. 8. de privileg. n. 1.* & *2. Gonz. loc. cit. n. 50.* *Corrad. loc. cit. n. 29.* *Lott. loc. cit. n. 23.* qui tamen hoc ipsum distinguit ex *Puteo. loc. cit.* ut procedat, si unio facta esset ex causa vim contractus & realiter iniri, non autem facti ex clausula roborativa actus, quæ adijci solet. Et sic *Garc. loc. cit. n. 299.* quod in unione facta cum clausula: *in vim contractus;* habeat adhuc locum regula, juxta quod resolverit *Rota in Abulensi de anno 1540.* & per *Mohed. loc. cit. Pur. decis. 51. l. 1. & decis. 1136. l. 3. p. 3. divers.* addit etiam *Garc. n. 297. juncto n. 298.* ex *Mandol. ad hanc reg. q. 8. m. 1. & seq.* regulam hanc non videri habere locum in unionibus factis in compensationem vel ex causa remunerationis ob servitia vel merita extraordinaria, quod ipsum tenet *Chok. ad hanc reg. n. 17.*

13. Sexto non habet locum regula, quæ unius Ordo supprimeretur in totum, & ejus beneficia alteri applicarentur. *Gonz. loc. cit. n. 51.* hoc resolutum dicens à *Rota in Tirason. Prioratus 16. Feb. 1570. in finem. Chok. loc. cit.*

Quæstio 942. Quænam ad versus dictam regulam Revocatoriam adhiberi possit, ac soleat cautela, ne hujusmodi uniones factæ in augmentum cultus divini, successu temporis revocari, aut de earum revocatione facta dubitari contingat?

Respondet Corrad. *cit. c. 15. n. 57.* ad tollendum omne dubium solere peti à Papa revalidationem hujusmodi unionis, quæ per dictam regulam revocata præterire possit, & pro ea revalidatione porrigi Papæ preces seu supplicationem, cujus formam *ibidem* subjicit Corrad. additque n. 58. quod ea cautela semper habita fuerit necessaria ab antiquissimis & practicis Curialibus, dum in unione non ita siquid apparet, eam fuisse factam in augmentum cultûs divini, vel ex causis in dicta regula non expressis, sed aliis: vel etiam, si appareat facta in augmentum dotis, non tamen ex tali augmento deducitur præcisè necessitas, & sic dubitetur de illius unionis validitate. Porro petitam à novo Pontifice similem revalidationem visam sæpe ab eodem denegari, ait *ibidem* Corrad.

Quæstio 943. Dum unus dicit de regula revocatoria, & alter asserit unionem fuisse sortitam effectum, penes quem sit probatio?

Respondet Garc. *cit. c. 2. n. 300.* remissivè ad Mandol. ad hanc regulam. q. 7.

Quæstio 944. An, dum dicta regula revocatoria unionum locum non habet, regula mensium capiat beneficia unita, quæ effectum sortita non sunt?

Respondeo negativè: Neque etiam dicta regula mensium impediet, quòd minus gratia seu mandatum de facienda unione alicujus beneficii, cum primùm per cessum vel decessum possessoris vacaverit, detur executioni. Gonz. *gl. 5. §. 7. n. 53.* Secus verò est, ubi regula revocatoria locum haberet. Gonz. *ibidem.* Quod si etiam in Ecclesia accessorie unita poneretur aliquis Vicarius perpetuus & titularis, vicaria illa caderet sub regula mensium. Gonz. *loc. cit. n. 54.* Ac denique dum beneficium alteri unitum est aequè principaliter, ita ut juratibusque beneficii salva permaneant, licet ad invicem communicentur; cum tunc beneficium non perdat nomen, nec titulum, nec effectum beneficii, nulla est ratio, quare hoc beneficium, quod remanet ex duobus unitis compositum, non comprehendatur regulâ mensium. Gonz. *loc. cit. n. 55. & n. 56.*

Quæstio 945. An, & qualiter, dissolutâ unione, remaneat beneficium, quod prius erat, & si prius erat jus patronatus, hoc jus patronatus quoque redeat?

Respondeo ad primum sub distinctione: Si agatur de suppressione, seu de unione non extinctiva tituli, dissolutio hujus unionis solum remouet impedimentum, quod prius fuerat indutum; neque ideo beneficium intelligitur deduci de non esse ad esse, sive de novo creari. Lott. *l. 2. q. 8. n. 8.* citans *gl. in Clem. ult. de rescrip. v. creatum.* Anchar. *ibidem n. 2.* Barbat. *n. 22.* eò quòd, ut Lott. *n. 26.* in eo titulo non extincto conservetur materia & forma essentia beneficii, licet impediatur collatio. Unde, quando dissolvitur unio, sive revocatur suppressio, beneficium non deciditur ab alio principio, sed ipsum est principium sùpsus, usque adeò, ut n. 27. Lott. ut pro reductione beneficii ita

suppressi ad statum pristinum non sit necessaria auctoritas Papæ, etiam si illa intervenisset in illa suppressione, ut Butrio *in c. cum accessissent. de consuet.* Si autem agatur de suppressione extinctiva tituli, quia jam non possunt remanere reliqua beneficii, nihil est, in quo conservetur substantia ipsius beneficii, per dissolutionem unionis beneficium deducitur de non esse ad esse, habeturque pro novo beneficio Lott. *loc. cit. n. 28.* citans Joan. de Lignan. *in cit. Clem. ult.* quem sequuntur *ibidem* omnes, & Felin. *in cit. c. cum accessissent. n. 33.* ac probans illud ex *L. intercedit. de condit. & demonstr.* Pro hac autem dissolutione, à qua resultat hujusmodi nova creatio, requiri auctoritatem Papæ, ait Lott. *cit. n. 28.* & citat pro hoc Bald. *in cap. cum accessissent. num. 16.* Verùm non video, cur ad talem dissolutionem requiratur auctoritas Papæ; cum & Ordinarius unionem factam accessorie, quæ est extinctiva tituli, dissolvere possit, etiam, ut dictum supra, si unio facta fuisset auctoritate Papæ ordinaria, & etiam beneficia erigere; adeoque cur dici nequeat, quòd Episcopus auctoritate suâ dissolvendo unionem, hoc ipso simul, vel etiam per actum distinctum creet de novo beneficium.

2. Respondeo ad secundum: An quoque resurgat in hoc casu posteriori jus patronatus, quod unâ cum extinctione tituli in totum perierat, dubitari possit, videturque ex æquitate dicendum, quòd sic; etiam si de novo creetur illud beneficium, nempe, quòd vel hoc ipso resultet quoque jus illud patronatus, vel unâ cum creatione nova beneficii constituatur ab Episcopo. Et sic, quòd jus patronatus redeat, sentiunt Azor & Castrop. supra citati, ubi, qui vocandi ad dissolutionem unionis. Videtur etiam huc facere, quòd tradit Lott. *l. 2. q. 31. n. 32.* quòd dissolutâ unione res redeat ad naturam suam, & sic beneficium, quod vi unionis non erat amplius conferibile per concursum (dum erat Parochiale) dissolutâ unione debeat iterum conferri per concursum. Videtur tamen etiam obstare in contrarium, quòd beneficium semel liberatum à servitute hac jus patronatus, non possit eidem de novo subijci, sine nova causa, ex qua solet concedi jus patronatus, ut firmari videtur à simili, dum, si dissoluta per mortem matrimonio, resurgeret à mortuis maritus, non hoc ipso uxori adhuc viventi obligaretur; uti nec servus ad vitam resuscitatus foret amplius servus. Ad illud Lotterii de concursu etiam dici potest, convenire hoc omni beneficio Parochiali de per se existenti, adeoque non mirum, quòd dissolutâ unione tale beneficium cadat iterum sub hac regula communi omnibus Parochialibus. Porro, quòd ait Lott. *l. 2. q. 8. n. 32.* decisum à Rota *in Spoletan. Abbacia 19. Decemb. 1625.* Eum, qui mediante certâ pecuniarum quantitate obtinuerat dissolvi unionem, & ex hac causa decerni sibi esse acquisitum jus patronatus (quod ipsum jus non aliter, quam ex privilegio obtentum ait Lott) hoc inquam intelligendum videtur, ubi beneficium illud, quòd unitum fuerat, ob tenues suos redditus redotatur à tali, vel ejus dos augetur, ut per se jam subsistere possit; & sic pariter de tali redotatore in hac unionis dissolutione loquendum in ordine ad jus patronatus antiquum, ac de redotatore vel augmentatore dotis beneficii non uniti.

CAPUT SECUNDUM.

De dismembratione, divisione, suppressione, & extinctione Beneficiorum.

PARAGRAPHVS I.

De Dismembratione.

Questio 946. Quid sit Dismembratio?



Espondeo: Est separatio tantum aliquorum fructuum & reddituum beneficii ab ipso beneficio, ut alteri beneficio vel pio loco applicentur. Castrop. de benef. d. 6. p. 90. §. 10. n. 1. Garc. p. 12. c. 3. n. 1.

Et hinc per eam non extinguitur titulus beneficii; sed hic intactus & indivisus permanet apud Rectorem beneficii, à quo fructus aliqui separantur. AA. iidem II. cit. et si per eam alteretur beneficium seu Ecclesia, diminuatque in bonis & redditibus suis. Garc. loc. cit. nu. 1. Unde etiam, dum fructus alicujus beneficii uniuntur alteri, remanente beneficio penes suum Rectorem, non tam est unio, quam dismembratio, Garc. l. c. n. 2. Et hinc patet, qualiter dismembratio distinguatur à divisione beneficii; cum per eam, ut dictum, titulus non dividatur, sed eo manente indiviso, pars fructuum ab eo separatur; divisio autem beneficii sit, dum ipse titulus beneficii simul dividitur, & de uno fiunt plura beneficia, v. g. ex una Parochiali duæ; ex uno Canonicatu duo (vel etiam, ut Castrop. Canonicatus, & portio) Tond. qq. benef. p. 3. c. 156. nu. 17. Castrop. loc. cit. n. 3. Garc. p. 12. c. 4. n. 1.

Questio 947. Dismembratio an, & qualiter prohibita, vel permessa?

1. **R**espondeo primo: Dismembratio quorumvis beneficiorum jam dudum prohibita fuit in Concilio Turonensi. c. majoribus. & c. tua. de præb. Lott. l. 1. q. 28. nu. 2. Quia divisiones & dismembrationes Ecclesiarum redolent, & in jure censentur species formalis, & vera alienationis prohibita cadentis sub dispositione Extravag. Ambrosiæ. de reb. Eccl. non alien. Card. de Luca. de Regular. d. 5. n. 4. & d. 25. n. 4. & d. 27. n. 4. ubi: Regulariter dismembratio dicitur prohibita alienatio, quæ cadit sub Extrav. Ambrosiæ. Non tamen ita prohibita est dismembratio & odiosa in jure, quam unio extinctiva tituli. Lott. l. 2. q. 28. n. 31. de quo paulo inferius, ubi, an cadat sub Regula revocatoria unionum.

2. Respondeo secundo: Tamen permessa est ex causa legitima. c. ad audientiam. de Eccles. adif. Lott. loc. cit. n. 3.

Questio 948. An, & quid possit Episcopus circa dismembrationes faciendas?

1. **R**espondeo primo: Episcopus, aut alter inferior Papæ non potest facere, seu auctorizare dismembrationem sine legitima causa. Card. de

Luca. de Regular. d. 64. n. 9. Lott. cit. q. 28. n. 43. dum verò adest legitima causa, potest id Episcopus. Castrop. loc. cit. n. 1. dum autem Tond. loc. cit. p. 3. c. 36. n. 4. ait, non esse licitum Episcopo beneficium dismembrare vel dividere, nec ex uno duo facere, loquitur de dismembratione beneficii curati. Hinc

2. Respondeo secundo: Non potest Episcopus Parochialem, seu beneficium curatum dismembrare; ita ut redditus ab ea separati applicentur beneficio simplici erecto, vel erigendo. Tond. loc. cit. Castrop. loc. cit. n. 2. vetat enim Trident. sess. 25. c. 16. converti beneficium curatum in simplex hæc verbis: Statuit SS. Synodus, ut Ecclesiastica beneficia secularia, quocunque nomine appellentur, quæ curam animarum ex primæ institutione, aut aliter quomodocumque retinent, illa deinceps in simplex beneficium, etiam assignatâ Vicario congruâ portione non convertantur, non obstantibus quibuscunque gratis &c. Declaravitque S. Congregatio hoc ipsum intelligi quoque debere etiam in parte fructuum. Castrop. loc. cit. Garc. p. 12. c. 2. n. 87.

3. Respondeo tertio: Neque etiam Episcopus separare potest seu dismembrare ab Ecclesia Parochiali beneficia simplicia, seu Oratoria ei unita, tametsi separatis Parochialis non egeret; quis esset Parochialem ex parte in simplicem convertere contra Trident. loc. cit. Garc. loc. cit. id ipsum quoque à S. Congregat. decisum referens Castrop. loc. cit. citans insuper Riccium in præf. fori Eccles. decis. 492. editionis 1. & edit. 2. resol. 383. n. 6. & 7.

Questio 949. An dismembratio requirat necessarium causam, & solemnitatem?

Respondeo affirmative. Tond. qq. benef. p. 3. c. 156. nu. 17. ubi, quod dismembratio fieri non potest nisi subsistente causâ, & cum solemnitatibus requisitis, citat decis. Rotæ. nu. 1. & seq. p. 7. recent. Et quidem eadem causâ, eademque solemnitates intervenire debent, quæ in alienatione rerum Ecclesiæ requiruntur. Castrop. loc. cit. Garc. cit. c. 3. n. 3. ubi, quod eadem causâ & solemnitates requirantur in dismembratione, quæ in unione. Lott. l. 1. q. 28. n. 4. ubi, quod in dismembratione tanquam in alienatione rei Ecclesiæ exigatur & causâ, & solemnitatis concursus. Card. de Luca. de Regular. d. 5. n. 4. ubi: divisiones & dismembrationes omnes, & fortè majores solemnitates exigunt cum iustitia causâ necessitatis vel utilitatis, eo modo, qui in formalibus alienationibus desideratur. Et ibid. d. 64. n. 9. ubi: divisio, vel suppressio, aut dismembratio, aut alia concessio Ecclesiarum redolent prohibitam alienationem, quæ ab Episcopo, vel alio Prælato fieri non potest absque copulativo consensu solemnitate, & iusta causâ. Cortad. præf. benef. l. 3. c. 2. n. 2. ubi: Dismembratio fructuum nullo modo fieri debet, nisi adhibitis debitis requisitis & solemnitatibus ad illius validitatem, una cum iusta causâ, cum ipsa causâ requirantur ac solemnitates in hujusmodi dismembratione.

membraione, qua adhiberi debent in alienatione rerum Ecclesie, citat pro hoc Franc. in c. 1. n. 5. de reb. Eccl. non alien. in 6.

Quaestio 950. An, & qualiter auctoritas Apostolica suppleat defectum causae, & solemnitate in dismembratione facta hac auctoritate, aut in vim illius à Delegato Papae, aut Visitatore, aut cum beneplacito Apostolico?

Respondeo primò: Etsi dubium non sit, quin Papa ex plenitudine potestatis, & supremi, quod habet, in beneficiis dominii facere possit valide ejusmodi dismembrationes, non solum absque omni solemnitate, sed & absque causa. Lott. l. 1. q. 28. nu. 161. loquens quidem de unione, ob identitate tamen rationis idem locum habet in dismembratione. Etsi etiam beneplacitum Apostolicum (intelligi videtur, etiam non procedens ex illa absolutissima potestate, seu, ut loqui solemus, ex plenitudine potestatis, quamvis alias Lott. l. 1. q. 36. n. 116. dicat de Papa, quod de potestate ordinarii consensum alterius supplere nequeat) suppleat solemnitates, de quo mox, non tamen supplet causam. Card. Luca. de benef. d. 45. nu. 10. ubi loquens de dismembratione ait: *Ex conclusione in materia alienationis bonorum, vel jurium Ecclesie recepta beneplacitum Apostolicum supplet solemnitates, non autem causam ex deductis per Gregor. Et Adden. decis. 113. n. 8. & 11. & alios passim & d. 47. n. 11. ubi: auctoritas Apostolica supplet consensum Capituli aliisque solemnitates, sine quibus Ordinarius, etiam accedente causa, ad hujusmodi actus procedere non potest; sed non supplet causam.* Unde in hoc puncto dicendum videtur de nullitate dismembrationis factae etiam à Papa ob falsam causam, quod supra dictum de unione. Neque contrarius videtur Lott. cit. q. 28. n. 161. ubi, quod necessitas causae non teneat Papam, quia loquitur tum de absoluta Papae potestate; tum de carentia causae, quae tamen est cum certa scientia praedicti alius, puta Patrono Ecclesiae &c. inferendi.

2. Respondeo secundò: Dismembratio facta per Papam non requirit ulla solemnitates, auctoritate Apostolica quascunque solemnitates suppleat. Et in specie consensum illum Capituli, quamvis addit clausula: *vocatis vocandis*: Lott. l. 1. q. 28. n. 160. Card. de Luca. loc. cit. n. 9. juxta conclusionem, ut ait, generalem in materia alienationis bonorum Ecclesiae, ut Seraph. decis. 338. nu. 8. Rotae decis. 222. p. 2. Recent.

3. Respondeo tertio: Idem est in dismembratione facta nomine Papae per Delegatum Apostolicum. Card. Luca. cit. n. 9. citans Rotam decis. 196. p. 7. Recent. Quod ipsum tamen restringit n. 11. ita ut dicat, debere talem delegatum ad illum actum habere specialem delegationem, & non sufficere generalem ad visitationem vel administrationem Ecclesiae, ut in proposito cessantis necessitatis solemnitate in actibus gestis per Legatum Apostolicum, distinguendo inter Delegatum generalem & specialem, tradit Socin. Senior in c. sicut univ. num. 105. de excess. Prel. quem citat. Idque ex ea clara & palpabili, ut ait Card. de Luca, ratione: quod ideo unio (idem est de dismembratione, quia de hac ibidem 2. quae agit de Luca) facta per Papam vel ejus specialem ad hoc Delegatum non servatis solemnitatibus, ac alias contra formam juris sustinetur; eo quod, cum hac consistant in jure, non au-

tem in facto, & juris ignorantia non detur in Papa, (urpote in quo ob assentiam peritissimorum officialium intrat illud vulgare dictum: quod praesumatur omnia jura habere in scrutinio pectoris) faciendo, vel demandando actum cum juris dispositione incomparabilem, implicite juri derogare, aut in eo dispensare censetur. Quod ipsum tamen ait, non procedere, nisi posita certa scientia impedimenti seu incompatibilitatis, ut etiam Lott. cit. q. 28. n. 161. Unde jam etiam

4. Respondeo quarto: Visitator Apostolicus per S. Congregationem deputatus (intelligi pro visitandis Ecclesiis urbis & districtus illius) dismembrationem facere non potest sine solemnitatibus; quia praeter hoc, quod careat speciali illa delegatione, hujusmodi visitatores deputari soliti per S. Congregat. (etiam independenter à Cardinale Vicario, ut ad hoc habentem immediatam auctoritatem à Papa) imò & ipsa S. Congregatio omnia gerere dicuntur vice Papae tanquam Episcopi, & Ordinarii Urbis, non verò ut Episcopi totius orbis, & Ecclesiae universalis. Card. de Luca. loc. cit. n. 12. juncto nu. 13. & 14. ubi etiam, in quo sensu dicatur illa visitatio Apostolica. Porro illud hic observandum ex Lott. cit. q. 28. n. 77. Quod quò ad dismembrationes consuetas fieri ab una Ecclesia ad aliam ex bonis & juribus, quae constituunt certam quantitatem reddituum; quòd quamvis Papa in literis eam dismembrationem positivè faciat, nihilominus semper egeat talis dismembratio ministerio Executoris respectu liquidationis quantitatis, ante quam impossibile est, Ecclesiam, cui fit applicatio illa reddituum seu bonorum, possessionem acquirere, pro quo Lott. citat Bald. cons. 165. l. 4. Aymon. cons. 164. n. 2. & Romam in Casar. August. fructuum. 31. Jan. 1597.

Quaestio 951. An, & qualiter causa legitima dismembrationis sit exprimenda, & justificanda?

Respondeo primò: Causa dismembrationis debet exprimi. Lott. l. 1. q. 28. n. 24. ubi: *quod attinet ad expressionem causae, illa ideo exigitur, ut ab ea dimetiatur justitia dismembrationis.* Loquitur autem ibi Lott. de dismembratione Parochialis.

2. Respondeo secundò: Ex assertione Episcopi seu Ordinarii auctorizantis dismembrationem, ea non justificatur. Card. de Luca. de benef. d. 45. n. 6. ubi, quòd dismembratio sit formalis alienatio, exigens ultra solemnitatem copulativè etiam justam causam extrinsecus justificandam in actis, aded, ut non sufficiat assertio ipsius Episcopi, vel Praelati dismembrationem facientis super extrajudiciali informatione; quoniam in prohibitis non deferretur assertioni facientis. Et d. 14. n. 10. juncto n. 11. ubi, quòd ex Regula generali sententia debeat justificari ex actis, sine quibus nihil probat, neque statum firmat, idque praecipue, dum sumus in prohibitis, & in specie in terminis dismembrationis, ut sententis vel aliis assertionibus Ordinariorum non sit deferendum absque justificatione, ut Ottoboni, decis. 6. n. 13. & latè decis. 224. p. 10. Recent. nu. 7. Idem docet Lott. cit. q. 28. nu. 33. his verbis: *quòd ad veritatem causae, ea non habet pendere ex assertione partium, vel etiam ipsius Episcopi, aut alterius dismembrationis auctorizantis; sed debet de ea positivè constare ex processu de super facto: quamvis non sit necessarius processus scrupulosus secundum juris subtilitatem, sed sufficit simplex processus.* Unde quò ad ipsam causam

causam difmembrationis vel divisionis Parochie, sufficit pro eius verificatione accessus Ordinarii ad locum, & illius inspectio, debent tamen hæc omnia in actis publicis reduci, aliàs non stare iudicis assertioni; quod locum ipsum vidisset, & negotium in statu tali reperisset. eadem ferè ex Lott. excipit Corrad. pr. benef. l. 3. c. 3. num. 8.

Questio 952. An, & qualiter dicta causa & solemnitates præsumantur in dubio?

Respondeo primò: Pro inducenda præsumptione solennitatis extrinsecæ adhibita in difmembratione, quam possessor allegat, sufficit tempus 30. annorum, non tamen minus. Lott. l. 1. q. 28. n. 38. citans Imol. in c. pervenit. n. 10. & 13. de empt. & vendit. & Rotam in Elborensi. difmemb. 18. Decemb. 1600. Quod ipsum tamen limitat ibid. modo tamen proberur consensus illius, de cuius præiudicio agitur, ut rectè ait, advertisse Menochium l. 3. præsump. 132. n. 64. sic exponendo cir. c. pervenit Limitati d'ipsum ulterius n. 42. ita ut sublatà causà necessarià, seu non apparente de causa legitima, actus evidenter maneat minus solennis, ac consequenter non admitteret præsumptionem solennitatis ex tempore aliquo. Sed neque supposito defectu causæ, ex cursu temporis induci posse præsumptionem, auctoritatem Episcopi, aut alterius Papæ inferioris intervenisse; cum inferior non possit difmembrare, aut difmembrationem auctorizare sine causâ, ait Lott. nu. 43. Neque etiam auctoritatem Papæ, ut idem nu. 44. cum nullus lapsus temporis sufficiat pro inducenda præsumptione auctoritatis Papæ, nisi justificata ipsius Papæ scientia circa talem difmembrationem, ut Aymon. de antiq. tempor. p. 3. in principio. n. 17. Alex. cons. 9. n. 8. l. 3. Ruin. cons. 23. nu. 19. l. 5. & alii, quos citat Lott. n. 44.

2. Respondeo secundò: Dicitur tamen tempus non sufficere pro inducenda præsumptione substantiæ ipsius actus difmembrationis, ut Aymon. loc. cit. n. 22. & consequenter nec pro inducenda præsumptione causæ illius, à qua actus ille substantiatur, & mensuram iustitiæ accipit. Lott. ibid. nu. 39. & 40. citans Natr. cons. 162. nu. 24. Et addit Lott. n. 37. Quod nisi causa sit evidens, existimare se, nullius temporis lapsum sufficere ad sustinendam difmembrationem; admittere tamen videtur Lott. n. 41. quod præsumenda sit veritas causæ allegatæ, ubicunque versamur in dubio, & cetera solennitates apparent adhibita; pro quo citat Gemina. cons. 48. nu. 6. & sic in terminis difmembrationis decitum dicens à Rota apud Seraphin. decis. 414. n. 2.

Questio 953. Quanam sit legitima causa difmembrationis?

Respondeo primò: In genere præter ea quæ dicta sunt quest. ante hanc. 4. Quod nimirum, ut AA. ibi citati, eadem causæ requirantur, quæ requiruntur ad alienationem rerum Ecclesiæ, vel etiam quæ requiruntur ad unionem faciendam, nempe requiri causam necessitatis & utilitatis Ecclesiæ. Card. de Luca. de benef. d. 45. n. 6. Tond. qq. benef. p. 3. c. 156. n. 17. Corrad. pr. benef. l. 3. c. 2. n. 2. Unde dum Lott. ait cit. q. 28. n. 25. aliquando solam pinguedinem reddituum unius, & exilitatem fructuum alterius Ecclesiæ reputari iustam causam pro difmembratione, ut in casu, quo Episcopus constituit ministrum in Ecclesia Parochiali, qui adjuvet Rectorem, & ad hunc effectum illi assignat

penzionem ex redditibus Ecclesiæ loco beneficii, quod facere potest, ut Abb. in c. conueniente. n. 1. & 5. de Cleric. non resid. Gamb. de off. leg. l. 5. tit. de difmemb. num. 9. & 10. & Rota apud Seraph. decis. 428. quæ, & quos citat, dum inquam, id asserit Lott. non excludit necessitatem & utilitatem illius Ecclesiæ; non enim citra necessitatem, & utilitatem evidentem, & purè tantum, quia Ecclesiæ illa Parochialis habet pinguiore redditus, Episcopus potest isti Rectori obtrudere adiutorem cum dicta difmembratione. Porro iustam causam necessitatis talem esse oportere, cui alias opportunè provideri non possit, ait Card. de Luca. de Regular. d. 27. n. 4. Item de Paroch. d. 34. nu. 3. ait, requirit ad effectum difmembrationis præciam nimium moralem necessitatem. De cetero, quanam in particulari causâ constituant necessitatem illam & utilitatem respectu Parochialis difmembrandarum, aut dividendarum, cum erectione novæ Parochiæ, uti & quæ in dicta earum difmembratione & divisione adhibenda speciales solennitates, vide sub actum alibi, ubi de Ecclesiarum Parochialium erectione. Vide etiam Lott. cit. q. 28. n. 45. Card. de Luca. in Miscellan. d. 1. à nu. 115. & ad Trid. d. 16. à n. 1. de Paroch. d. 33. 34. 35. 36. & c. qui etiam cit. d. 34. n. 2. de Paroch. Quod materia illa difmembrationis vel divisionis Parochialium certam ac determinatam regulam non recipiat, utpote reposita in arbitrio Episcopi, adversus quod licet, ubi firmiter rationabile, detur appellatio vel recursus, attamen rarum & difficile sit, ut illud de iniustitia positiva convinci valeat, quoties interponitur pro difmembrationis denegatione: unde etiam forte nulli vel nimium rari sunt casus, in quibus Episcopo denegante, Romana Curia in gradu appellationis, vel recursus id præcipiat, frequenter autem reprobari solet in casu converso, in quo tanquam in specie formalis alienationis rigide proceditur super interventu causæ, & solennitatis.

Questio 954. Quæ solennitates necessario adhibenda in difmembratione Ecclesiæ seu beneficii?

Respondeo primò: Illæ solennitates juris adhibenda sunt, de quibus in c. sine exceptione. 12. q. 2. c. dudum. de reb. Eccl. non alien. Lott. d. 1. q. 28. n. 5. citans Rotam decis. unice. n. 1. de reb. Eccl. in noviss. & in una Toleran. Parochial. 17. Nov. 1601. & in Aquilana nullitatis erectione. 24. Maii 1610. & c. Cùmque hæc solennitates, ut Garc. p. 12. c. 3. p. 3. sint eadem (intellige saltem pleræque) quæ in unionione, adeoque consistant potissimum in vocatione ceterarum personarum, requirendoque earum consensu (unde & usus inolevit, in literis, quæ super difmembrationibus expediuntur à Cancellaria, semper apponendi clausulam: vocatis vocandis, quæ arctat Executorem ad procedendum viâ ordinariâ, ut Felin. in c. de cetero. n. 10. de re iudic. Lott. cit. c. 28. n. 2.) de his, quanam ea sint, querendum; unde

2. Respondeo primò: Vocandus est Rector beneficii difmembrandi, & eo non vocato fieri nequit difmembratio, secus ac accidit in unione. Lott. cit. q. 28. n. 7. citans gl. in Clem. si una. de reb. Eccl. non alien. v. vocatus, & ibid. Imol. n. 12. ubi etiam reprobat Holtiensem, confundentem in hoc puncto terminos unionis, & difmembrationis. Ventrigl. to. 2. annor. 8. §. 2. n. 18. (ubi etiam, quod simili ratione vocandus Rector in difmembratione all-

ne alicujus joris beneficii) Castrop. cit. §. 10. n. 1. Corrad. pr. benef. l. 3. c. 2. n. 2. Unde Rectori permiffa est appellatio, adeo ut, si intra decendum datum ad appellandum, procedatur ad executionem, ea nulla sit, ex generali Regula c. non solum. de appell. in 6. Lott. loc. cit. num. 9. citans Rotam in Casaragust. dismemb. 25. Jun. 1607. Hunc consensum debere esse expressum & explicitum, & non sufficere tacitum & implicitum, tradit Lott. ibid. n. 16. citans gl. in c. dudum. v. perpetuus. de reb. Eccl. non alien. in 6. & Rotam in Elborens. dismemb. 18. Nov. 1600. Non tamen exigit consensus ille scripturam, sicut eam exigit decretum Superioris, quod alias alienationem precedere debet. Lott. ibid. n. 13. citans Innoc. in cit. c. dudum. n. 3. Sufficere etiam ad validitatem dismembrationis, si postmodum talis consensus superveniat, censet Lott. loc. cit. num. 12. eò quòd requisitio talis consensus non exigatur pro forma (quo casu aliud dicendum fore, ait ex Innoc. loc. cit.) cum id non de claret textus c. ad audientiam. de Eccl. adif. nec is ratione auctoritatis requiratur, sed tantum ratione præjudicii. Putat tamen Lott. n. 14. ex Innoc. loc. cit. ad hoc, ut talis consensus superveniens attendatur, necesse esse, quòd eum præcedat tractatus, in quo deliberetur, dismembrationem fieri oportere propter Ecclesie utilitatem: Ecita convalescat alienatio (idem est de dismembratione) ex hunc, & non ex tunc. Quodsi tamen vocatus Rector nollet consentire, potest Episcopus eo invito, si subit justa causa, procedere ad dismembrationem. Lott. loc. cit. n. 10. juxta textum c. ad audientiam. Porro in ordine ad hunc effectum is intelligitur nomine Rectoris beneficii, qui habet defensionem illius. Unde cum jus Parochie censetur residere penes Prælatum, non autem penes Vicarium, requirendus erit consensus hujus Prælati, vel etiam Capituli, si penes Capitulum sit cura habitualis, non autem Vicarii, qui solum habet exercitium, & suam congruam. Lott. loc. cit. n. 18. & 19. qui etiam n. 21. addit, quòd, ubi habet consentire Capitulum, non sufficit consensus singulorum de Capitulo, sed requiritur consensus Capitulariter, ut Felin. in c. cum omnes. n. 24. & 28. de Constit. & Rota decis. 384. n. 6. p. 1. Recent.

3. Secundo requiritur etiam consensus Ecclesie vel Collegii, cujus Canonatus vel beneficium aliud dismembrandum. Card. de Luca. de benef. d. 45. n. 5. Ventrigl. loc. cit. n. 15.

4. Tertio requiritur etiam consensus Defensoris, si Ecclesia seu beneficium dismembrandum sit vacans. Castrop. cit. §. 10. n. 1. Corrad. pr. benef. l. 3. c. 2. n. 2. Lott. cit. q. 28. n. 22. ubi, quòd si Ecclesia vacaret, deberet ad istum effectum dismembrationis ei deputare Episcopus defensorem, ad cujus officium pertinet, disquirere de legitimitate & veritate cause necessaria. Debet autem cavere Episcopus, ne talem deputet, qui possit corrumpi. Lott. cit. n. 22. juxta gl. in c. 1. de reb. Eccl. non alien. in 6. v. defensore. & Rotam in Toletan. Paroch. 19. Nov. 1601.

5. Quarto requiritur consensus patronorum, non secus ac in unione. Card. de Luca. de jurep. d. 66. n. 10. ubi: nendum invalida est provisio, & resignatio, seu permutatio ipsius beneficii; verum etiam unio, etiam si fieret ad favorem Seminarii juxta formam Trid. seu ex alia justa causa, idemque ex rationis identitate in suppressione vel dismembratione, aliòque actu præjudiciali; scilicet in beneficiis etiam libera collationis habemus,

P. Lauren. Fori Benef. Tom. III.

quòd in suppressionibus, vel dismembrationibus desideratur consensus Rectoris, vel Parochianorum, aut alterius interessati, multò magis desiderandus est consensus Patroni in Ecclesia non libera. Contrarium tamen tenent Lott. saltem in casu constituti defensoris beneficii. cit. q. 28. n. 23. ubi præmissis de defensore mox subjungit: ex quibus etiam consequitur, consensum Patronorum minime exigi vel curari, ut latè resolvit Rota apud Cassad. decis. 3. sub. n. 4.

6. Quintò in dismembratione Parochie requiritur quoque consensus Parochianorum, prædictis verbis satis indicat Card. de Luca loc. cit. Sed de hoc dictum alibi. De divisione Parochie negat Castrop. cit. §. 10. n. 5.

7. Sextò requiritur sicut ad unionem, ita etiam ad dismembrationem consensus Capituli Cathedralis, ut expresse disponitur in Clem. 2. de reb. Eccl. non alien. Castrop. loc. cit. Card. de Luca. de benef. d. 45. n. 4. Idque etiam beneficium dismembrandum non spectat ad Cathedralis, aut ei subiectum sit, sed sit alioquin Ecclesie; eo quòd sicut in unione, ita & in dismembratione, etiam priorum beneficiorum Capituli Cathedralis consensus requiritur, non præcisè tantum ut interessati, sed etiam independenter ab hac interessentia, quatenus solennitas, & ex ea ratione, quòd ob arctissimam hujus Capituli cum Episcopo conjunctionem omnia negotia ardua exigant cum eo communicari & expediri: adeoque & talis solennitas, & ex eadem ratione (quòd nimirum etiam unio, & dismembratio externorum illi beneficiorum adhuc sit negotium arduum) requiritur in dismembratione, etiam illorum beneficiorum: quòd facit, quòd tradit Barbof. juris Eccl. l. 1. c. 32. n. 7. ex decis. Rota in Treventina benefic. 12. Novemb. 1629. & Seraph. decis. 338. n. 2. Quòd in alienatione bonorum Episcopi partis requiritur consensus Capituli, non ut personæ habentis interesse, sed solum tanquam solennitas. Facit quoque, quòd tradit Ventrigl. to. 2. annot. 8. §. 2. num. 15. quòd in suppressione Canonice Collegiate requiritur consensus tam Capituli Cathedralis, quàm Collegiate.

8. Præter hanc solennitatem consistentem in vocatione interessatorum, & exquisitione consensus illorum, adhibendum quoque pro solennitate necessariò requisita tractari, nempe Episcopi cum Capitulo super dismembratione faciendâ, vult Lott. cit. q. 28. n. 5. & Corrad. pr. benef. l. 3. c. 2. n. 2. de quo vide dicta supra de unione; ea enim hic pariter sibi locum vendicant.

9. Ac denique in hac specie alienationis spiritualis, nempe dismembratione beneficiorum non intrat necessitas solennitatis beneplaciti Apostolici, sicut ea requiritur juxta præscriptum Extravag. ambitioze, ad alienationem aliarum rerum Ecclesie. Card. de Luca. de Regular. d. 64. n. 9.

Questio 955. Quando nam dismembratio censetur sortita suum effectum?

Respondet: Iam demum dismembratione, uti et suppressione, non secus ac unione sortitam centeri effectum suum, cum secuta tandem est vacatio per cessum, vel decessum beneficii, quòd dismembratum vel suppressum; simulque apprehensa possessio, ait Lott. l. 1. q. 29. n. 27. Verum hoc quidem procedit in suppressione: item in dismembratione simul extinctiva tituli, ut idem Lott. In simplici tamen dismembratione fructuum, intacta substantia tituli (quæ est propriè dicta dismembratio)

trio) contrarium dicendum, nempe etiam ante cessum, vel decessum obtinentis beneficium illam ceteri posse sortitam suum effectum, ait idem nu. 28. juncto n. 29.

Questio 956. *An dismembrationes, & quae cadant sub regula Cancellaria Revocatoria unionum?*

Respondet Lott. cit. q. 29. n. 28. & 29. dismembrationes simplices fructuum, illas a substantia beneficii, olim usque ad tempora Clem. VIII. non cecidisse sub hac regula; eod quod ab illo nunquam ea regula ita concepta fuerit, ut ejusmodi dismembrationes complecteretur; & hinc majores nostros semper tenuisse, hujusmodi dismembrationes non cadere sub hac regula, ut Crescent. decis. 1. n. 3. de Paroch. Seraph. decis. 982. n. 1. & 2. Quidquid sit, ubi fieret dismembratio fructuum in totam, ita ut extinguatur titulus beneficii, quo casu intraturam ait argumentationem Mandosii; qui hac in re titubavit. ad hanc reg. q. 21. à n. 4. Ad eundem Mandos. remittit Chok. ad hanc reg. revocator. nu. 18. ubi: quid autem dicendum de annexione partis fructuum, num comprehendatur hac regula, vide apud Mandos. loc. cit.

Questio 957. *Quid sit divisio, qualiter prohibita, & qualiter permessa?*

Respondeo: De primo jam dictum satis ante, ubi, quid sit dismembratio, & qualiter ea differat a divisione: nempe quod divisio in eo consistat, quod beneficium secerit, & ex uno beneficio fiant duo. Garc. p. 12. c. 4. nu. 1. Castrop. de benef. tr. 13. d. 6. p. 3. §. 10. n. 3.

Respondeo ad secundum: Prohiberi illam a jure. c. majoribus. c. dilecto. c. vacante. de prob. & ibi AA. communiter. Garc. Castrop. l. cit.

Respondeo ad tertium: Permittitur tamen & illa, ubi justa est causa, & adstant legitima conditiones. Castrop. loc. cit. Garc. loc. cit. n. 2. juxta textum c. vacante. & ibi AA. passim, & gl. in c. majoribus. v. divisionem.

Questio 958. *Quanam in specie sit justa causa divisionis?*

Respondeo: Eam esse unicam, nimirum ut hac ratione obligationibus beneficio incumbentibus satisfiat, quibus, quamdiu beneficium unum & indivisum manet, satisfieri nequit, v. g. si beneficium est curatum, & unum cum sit, satisfieri nequit Cura, divisione autem facta ei satisfieri potest. Idem est de Canonatu, aliòve beneficio simplici, si munus haberet, cui nullatenus satisfieri posset seclusa divisione. Castrop. loc. cit. n. 4.

2. Hinc causa sufficiens beneficia dividendi non est, quod cultus divinus multiplicatione beneficiorum augeatur. Lott. l. 1. q. 28. n. 82. (ubi: circa illud, quod est causa finalis sectionis diligenter observa, quod, cum melius servietur Ecclesie per plures quam per pauciores, videtur frustratorie adhiberi, ex quo in omni sectione augetur numerus servientium, propterea referendum est id ad praxim necessitatem Ecclesie; cum non semper expediat esse plures ministros.) Castrop. cit. n. 4. citans Imol. in c. vacante. de prob. Lambert. de jurep. l. 2. p. 1. q. 12. d. 7. Item apud Garc. Rota in Callaguris. benef. 18. Jun. 1593; ubi expressè dicit ex Per. de Ubald. tr. de Canon. Episc. c. 7. n. 6. (quod ipsum etiam ex eodem asserit Lott. loc. cit. nu. 64.) augmentum hujusmodi cultus divini ad hunc effectum non habetur in consideratione ex numero beneficiorum, nisi ubi Ecclesia propter defectum beneficiorum suis debitis servitiis defraudaretur. Item dicitur ibi; nec di-

catum, quod in augmento numeri beneficiorum diminuitur cultus augeatur; quia respondetur, quod hac sola causa non est sufficiens ad inducendam divisionem beneficiorum, & praebedarum; & si aliter diceretur, sequeretur, quod semper ex illa causa augmenti divini cultus esset loci divisioni beneficiorum contra jura predicta. Arque ita Rota in dicta causa pronunciat, nullam esse sectionem ex simplici hujusmodi causa multiplicandi beneficiatos factam. Lott. loc. cit. n. 64.

3. Neque sufficiens causa est extinctio litis, & litigantium concordia, hæc enim alià vi obtrimenti possunt, absque eo, quod beneficia dividantur; & per reservationem nimirum portionis. Lott. loc. cit. n. 68. Castrop. loc. cit. Rota in eadem Callaguris apud Garc. ubi etiam Rota ait, concordias semper fieri debere, ne sequatur Sectio beneficii, juxta c. missos. sent. de prob.

4. Neque causa sufficiens est dividendi beneficium Parochiale multitudo Parochianorum, si seclusa divisione, omnibus illis administrari possunt Sacramenta ab ipso Rectore, aliisque in adiutorium assumptis. Castrop. loc. cit. argumento Trid. sess. 21. c. 4. ubi disponit, ut, antequam ad divisionem procedatur, Episcopi, etiam tanquam Sedis Apostolicae delegati, in omnibus Ecclesiis Parochialibus vel baptismalibus, in quibus populus ita numerosus est, ut unus Rector non possit sufficere administrandis Sacramentis, & cultus divini peragendo, cogant Rectores, vel alios, ad quos spectat, sibi tot sacerdotes ad hoc munus adiungere, quot sufficiunt ad illud; adeoque hoc remedium prius tentandum. Castrop. loc. cit. Barbos. ad cit. loc. Trid. Ad compellendum autem Rectores, ut designent sibi adiutores, opus non est, si Episcopus procedat ex officio ut Episcopus, ut is probe aliquem, vel aliquos Parochianos, decessisse sine Sacramentis defectu congrui servitii, sed sufficit, si periculum sic decessendi extrajudicialiter cognoscat. Secus esset, si ad instantiam partis Rector compellendus esset ad assumendos adiutores; eod quod difficulter pars probare possit necessitatem, nisi probe, aliquem sine Sacramentis decessisse. Castrop. l. c. Verum de causis, aliisque observandis in divisione Parochiarum dictum est sufficienter aibi, & remissum ad Card. de Luca & Lott. quest. ante hanc. §. prater hos vide etiam de hoc Castrop. loc. cit.

Questio 959. *Qua præter legitimam causam requirantur conditiones ad dividendum beneficium?*

Respondeo: Requiritur duas, prima est, ut fructus pro singulis beneficiis designati sint sufficientes ad alendum congruè utrumque beneficium, Castrop. loc. cit. n. 3. Lott. cit. q. 28. n. 76. ubi etiam, quod in determinatione hac reditum seu fructuum non sit habenda consideratio duntaxat alimentorum, verum etiam onerum Episcopatum & hospitalitatis, & hanc sufficientiam semper probandam per eum, qui Sectioni innotuit, Altera, ut adhibeantur solennitates, quæ requiruntur in alienatione rerum Ecclesiasticarum, quia hac divisio est vera talis alienatio. Castrop. loc. cit. Porro hæc solennitates in divisione eadem sunt, quæ in dismembratione. Quod autem de consensu Rectoris, cujus beneficium dividendum, ait Castrop. loc. cit. n. 5. hunc non requiri; cum Trid. dicat, etiam in vitis Rectoribus fieri posse divisionem, & hæc tota causa relinquatur a Concilio arbitrio Episcopi, sic intelligendum juxta dicta, ut in votis

catuſ Rector conſentire noluerit, poſſit Episcopuſ eo etiam invito, ubi adeſt juſta cauſa, procedere ad diuiſionem. De Parochianorum conſenſu non requirendo facilitis admittitur, quod tradit *ibid.* Caſtrop. Hoc bene ſubjungit Caſtrop. n. 6. ex *Barboſ. ad cit. loc. Trid. nu. 4.* poſſe tamen Rectorem, uti & Parochianos à decreto diuiſionis, & erectionis novæ factæ per Episcopum, etiam tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatum, appellare, ita ut hæc appellatio neceſſariò interponenda ſit apud Sedem Apoſtolicam, ubi Episcopuſ diuiſionem fecit tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus. Si verò aut Ordinarius proceſſit, appellatio interponi poſſit ſit coram Metropolitanis; habituram autem appellationem effectum non ſuſpenſivum, ſed devolutivum, ait *ibid.* Caſtrop. Argumento *c. ad audiendum. de Eccl. adif.*

Quæſtio 960. An, & qualiter Episcopuſ facere poſſit diuiſionem?

R Eſpondeo primò: Utrique præcedente conditione ſervatâ, accedente etiam juſta cauſa, Eccleſiarum ſibi ſubjectarum diuiſionem facere poſſit Episcopuſ, ut colligitur ſatis ex *Trid. ſeſſ. 21. c. 4. Caſtrop. loc. cit. n. 3.*
 2. Reſpondeo ſecundò: In Eccleſia tamen Collegiata numerata, hoc eſt habente certum numerum & determinatum præbendarum ſectionem Canoniarum ad effectum augendi numerum Præbendarum ſeu Canonicorum facere non poſſit Episcopuſ, dum numerus ille certus ſemel ſtatutus eſſet auctoritate ſummi Pontificis; quia talis numerus ſine auctoritate Papæ alterari, adeoque nec augeri dividendo, nec minui ſupprimendo præbendas poſſit. *Lott. cit. q. 28. n. 55. & 56. citatus Jo. And. in c. cum acceſſiſſent. nu. 19. de Conſtit.* Quod tamen intelligendum ſubjungit *Lott. n. 57.* niſi ex poſt fructus excreverint, vel decreverint, ut *Abb. in cit. c. cum acceſſiſſent. nu. 4. & Felin. nu. 17.* Illud etiam notandum, quod ait *Lott. loc. cit. n. 60.* nempe quòd, dum requiritur, ut concurrat conſenſus Capituli pro tali alteratione ſtatûs Eccleſiæ, quæ contingit per talem diuiſionem aut ſuppreſſionem, illud referendum ſit ad Prælatum Superiorem illius Capituli; eò quòd Capitulum nunquam ex ſe id poſſit, ſed omnino requiratur auctoritas Episcopii. Si tamen Episcopuſ non ſit de Capitulo, vel habeat bona communia cum ipſo Capitulo, tunc enim exigatur auctoritas Metropolitanæ, vel Papæ, ut *Jo. And. loc. cit.*

Quæſtio 961. Qua de cauſa, & qualiter diuiſio Diœceſis cum erectione novæ Cathedralis fieri, & permitti poſſit?

R Eſpondeo: Dum ex diœceſis amplitudine, & itineris aſperitate difficile, nimumque incommodum redditur paſtori, oves ſtatutis temporibus viſitare, recognoscere; ipſiſque ovibus paſtorem adire, juſtam cenſeri cauſam faciendi diuiſionem diœceſium, ait *Card. de Luc. in Miſcellan. d. 1. n. 117.* At tamen certa & determinata Regula cuiuscuſque caſui applicabilis de ſuper ſtatui non poſſit; plura ſiquidem, quam dicta cauſa requiſita ad id deſiderantur ea præſertim, ut antiquæ Eccleſiæ dignitas non vileſcat, ac etiam nova convenientem quoque dignitatem ſortiri & conſervare valeat. Quod ipſum pro regionum moribus Regulam recipit; cum in una regione non dedecet, Eccleſias Cathedralis habere ſines breviffimos, in alia regione praxis ſit diverſa, & contra, *P. Leuren. Fori. Benef. Tom. III.*

Card. de Luc. loc. cit. quæ eadem ſerè repetit ad *Trid. d. 16. n. 6.* de hac autem diœceſium diuiſione agere, & hæc examinare ſpectare ad Congregationem Conſiſtorialem, ait *cit. d. 1. in Miſcellan.* & ea frequenter in forma potiùs extrajudiciali & conſultativa diſputari, & examinari ſolere in dicta Congregatione, ait ad *Trid. l. c.* vide eundem *deprement. d. 6.*

Quæſtio 962. Qua de cauſa, & qualiter procedi poſſit ad diuiſionem Provinciae Ordinis alicujus Religioſi?

R Eſpondeo *Card. de Luc. de Regular. d. 27. nu. 3. & 4.* eodem ſerè terminos adhibendos in diſmembratione, & diſiſione hujusmodi Provincia- rum, qui adhibentur in materia diſiſionis Eccleſiarum Parochialium; cum & hæc diſiſio ſit alienatio prohibita cadens ſub terminis *Extrav. ambitioſas* exigere non ſolum ſolemnitates conſiſtentes in beneplacito Apoſtolicò, & in conſenſu intereſſatorum, ſed etiam juſtam cauſam neceſſitatis, cui aliàs opportunè provideri non poſſit; quòdque verificentur duo extrema: nempe primò, ut antiquæ Provinciae dignitas per hujusmodi diſiſionem non vileſcat, ſed in congruo ſuo ac decenti ſtatu remaneat. Secundò ut novum corpus illud, ſeu nova Provincia cum debita decentia conſtitui valeat, ne aliàs vilipendendi ratio eadè, quæ in Parochialium, vel etiam diœceſium diſiſione intrer. Porro de diſiſione unius Religionis ab alia vide eund. *Card. de Luca. de Regular. d. 5. per tot.*

PARAGRAPHVS II.

De Alteratione, & Suppreſſione Beneficiorum.

Quæſtio 963. Quid hic veniat nomine alterationis, ſeu mutationis beneficiorum?

R Eſpondeo: Variam ſpectari poſſe beneficiorum alterationem, quarum alia extrinſeca, alia magis intrinſeca videtur, ut dum beneficium de ſubjecto Jurispatronatûs tranſit in liberum, vel contra. Qui tranſitus qualiter contingat, ſatis conſtat ex dictis de *jurep.* Item dum annexa beneficium in ejus fundatione & erectione onera mutantur, demuntur, aggravantur; ſic enim quaſi extrinſecè dici poſſit mutari beneficium, de quo etiam dictum a *libi*, ubi de erectione beneficiorum. Alia magis intrinſeca mutatio eſt, dum ſimplex in curatum, aut dignitatem, regulare tranſit in ſeculare, vel contra; de quo poſtremo dictum ad initium *part. 1.* ubi de natura & diſiſione beneficii. Nominè verò alterationis Eccleſiarum magis ordinariè venire ſolet ea mutatio, quæ Eccleſia aliqua (intellige, in qua eſt Congregatio aliqua Clericorum) Regularis mutatur in ſecularem, vel contra, Eccleſia aliqua Collegiata purè in Cathedralis, Cathedralis in Metropolitanam, Parochialis in Collegiatam, ſimplex in Parochialem, Conventualis unius Ordinis in Conventualem diverſi inſtituti & profeſſionis. *Azor p. 2. l. 6. c. 30. q. 1.* Alterari quoque ſtatum Eccleſiarum, præcipuè curatarum, ſive ſint Collegiatæ, ſive ſimplices, tribus nempe ſectione ſeu diſmembratione, ſuppreſſione, & unione beneficiorum, ait *Lott. l. 1. q. 28. n. 1.*

Quæſtio 964. Penes quem ſit poteſtas alterandi Eccleſias modo dicto?

R Eſpondeo primò: Mutandi Eccleſiam Parochialem, vel etiam purè Collegiatam, aut

quomocunque aliam in Cathedrali potestas est penes solum Papam. De essentia enim Cathedralis est Episcopatus, et ut in ea creetur Episcopus; creare autem Episcopatus, & Episcopos solius Papa est, Castrop. de benef. 17. 13. 1. 5. p. 2. §. 11. n. 2. Azor l. c. q. 2. Garc. p. 12. c. 5. nu. 1. citans Rebuff. in pr. tit. de Erect. Eccl. in Cathedrali. Idem est de mutatione Cathedralis in Metropolitanam. Garc. l. c. Sic e contra, solus Papa auctoritatem habet Cathedrali conveniendi in non Cathedrali; quia solus Papa est, Episcopus de jure, & Episcopatus supprimere seu extinguere. Azor cit. q. 2.

2. Secundò convertere Parochialem Ecclesiam, vel aliam simplicem in Collegiatam est quoque solius Papæ; quia Ecclesia Collegiata non erigitur, nisi Principalis in ea dignitas aliqua constituitur, cujus sit toti illi Ecclesie præcellere, cujusmodi dignitates non nisi à solo Papa creari possunt. Azor l. c. cui adhæret Castrop. l. c. & fuse Lott. l. 1. q. 14. n. 43. ubi: Audiendi non sunt, qui existimant, Episcopum posse erigere Parochialem Ecclesiam in Collegiatam per text. c. quoniam. de vita & honest. Clericor. hic enim textus, ut probat nu. 44. loquitur de Ecclesia Regulari. Et n. 40. ubi: à Regulus juris nimium recederet, si admitteremus, Episcopum posse erigere Collegiatam, cui est interdita vel unius solius ac simplicis dignitatis honoræ (juxta ea, quæ fuse dixerat l. c. n. 14.) et si contrarium dicat quòd ad hoc Azor. cit. c. 29. q. 25. ubi, quòd novas dignitates erigere possit Legatus, quia id potest Episcopus) neque verò dubitandum, Collegiatam Ecclesiam propriè ac verè esse dignitatem, quapropter textus c. quoniam. de vita & honest. Clericor. sic est interpretandus, ut restringatur ad limites juris communis. Et n. 48. & 49. ubi: Recedendum non est ab illa sententia, ut Episcopus, vel alius quivis inferior à Papa nequeat erigere Collegiatam; nam præsumendo ab auctoritate delegata ipsius Sedis, impossibile est, ut Episcopus sua ordinaria auctoritate talem erectionem facere possit, ut censuit S. Congregatio Concilii in Conversana 27. Jun. 1626. contra Rebuff. l. c. qui tamen dicit, solere id fieri per Papam, item contra Garciam l. c. n. 4. qui tamen dicit, sententiam Azorii esse tutiorem. Sic neque Legatus erigere potest Ecclesiam Cathedrali. Azor p. 2. l. 5. n. 29. q. 5.

3. Tertio: Pari modo Regularem Ecclesiam convertere in seculari, & contra, non est Episcopi, sed solius Papæ; quia Regulares Ecclesie modò sunt exemptæ. Azor. Castrop. l. c. Poterit tamen id Legatus; quia Legatus est exemptorum Ordinarius. Azor. cit. c. 29. q. 25. ubi etiam; quòd Legatus in Provincia sibi demandata possit Ecclesiam unam erigere in Conventualiam, etsi alteri monasterio posito extra suam Provinciam subiecta sit.

4. Quarto: Sic quoque solius Papæ est, Ecclesiam Regularem unius ordinis mutare in alteram diversæ Religionis. Azor cit. c. 30. q. 2. Etsi enim olim Episcopi auctoritate erigebantur Ecclesie Regulares, modò tamen, quia sunt ab Episcopis exemptæ privilegis Pontificum impetratis, Superiorum Regularium auctoritate eriguntur. Azor. cit. c. 30. q. 4.

5. Quintò: Potest tamen Episcopus potestate sua ordinaria mutare Ecclesiam simplicem in curatam, & Parochialem. Azor l. c. Castrop. cit. nu. 2. Garc. l. c. citans Rebuff. in pr. tit. de erect. in Parochial. & licet S. Congregatio censuerit, id Episcopum seu Ordinarium non posse, intelligendum tamen id est, sine causa & necessitate. Garc. Castrop. l. c.

6. Sextò: E converso tamen Episcopus nequit

Parochialem Ecclesiam convertere in simplicem potestate ordinaria; quia id ei prohibetur à Trident. sess. 25. c. 16. Castrop. cit. n. 2. in fine citans Barbo. alleg. 88. n. 9. Unde mirum est, quòd Azor cit. q. 2. dicat, posse Episcopum mutare Ecclesiam simplicem in Parochialem; & contra, juxta c. ad audientiam. de Eccl. adif. cum dictum cap. tantum loquatur de constituendo præter Parochialem antiquam Ecclesiam aliam cum presbytero, qui Sacramentum administret, ubi partis remotioris Parochianorum necessitas ita exegerit, nisi forte intelligat Azor, uti se explicare videtur q. 3. seq. in casu, quo Parochus Ecclesiam deseruerit ob solam sterilitatem, vel eos interperiem, in quo tamen casu etiam subintelligendum videtur, si & Parochiani simul Ecclesiam deseruerint sine spe redeundi; sic enim videtur posse converti in simplex, de quo vide dicta alia, ubi de Parochiis erigendis.

Quæstio 965. An, & que causa, & solemnitas requiratur ad talem mutationem Beneficiorum faciendam?

1. Respondeo primò: Vel evidentem necessitatem, vel magnam Ecclesiarum utilitatem esse causam legitimam. Azor cit. c. 30. q. 3. ubi etiam addit, ex iisdem causis, ex quibus facta illa Ecclesiarum mutatio, posse eandem de novo rescindi, & fieri regressum ad pristinum statum.

2. Respondeo secundò: Ad erectionem simplicis in Collegiatam requiritur consensus patronorum. Lott. l. 1. q. 14. n. 53. & ex eo Corrad. pr. benef. l. 2. c. 9. n. 8. dicentes: quævis Ecclesia simplex, si causa urgeat, potest in Collegiatam erigi, dum tamen, si patronata est, patronorum consensus accedat, alias secus; nisi quòd Corrad. expresse addat: Patronorum Laicorum. Et si de factò erigeretur, semper intelligitur, sine præjudicio patronorum, item citantes Præposit. in c. si ex laicis. n. 7. 10. q. 1. unde etiam, si talis Ecclesia juris patronatus erigatur in Collegiatam, patronorum retentum jus præferendi ad præbendam illius; eò quòd priora jura hoc modo maneant intacta, & privilegium compatibile cum statu mutato per mutationem non extinguitur, tradit Corrad. l. c. n. 102. & 103.

Quæstio 966. Quid, & quorūplex sit suppressio beneficiorum?

1. Respondeo ad primum: Suppressio est extinctio tituli beneficiæ, per quam beneficium definit esse in rerum natura, ejusque fructus seu redditus, si qui sunt, applicantur aliis beneficiis aut locis piis. Colligitur ex Garc. p. 12. c. 1. n. 1. Castrop. de benef. d. 6. p. 2. §. 9. n. 1. Azor. p. 2. l. 6. c. 30. q. 12. Et hujus suppressionis frequentem usum esse in Curia Romana, ait Corrad. l. 2. c. 8. n. 1.

2. Respondeo ad secundum: Suppressio alia est temporalis, alia perpetua. Lott. l. 2. q. 8. nu. 84. juncto n. 85. & ex eo Corrad. l. 2. c. 8. n. 72. Temporalis illa est, dñi in Ecclesia aliqua ob decrecentiam reddituum supprimuntur Canonicatus, postmodum tracta temporis supercrecentibus de novo creandis, seu ad pristinum statum reducendus, quæ est materia textus in c. cum accessissent. de constitut. Lott. n. 84. Corrad. l. c. Quod, qualescunque demum fuerit beneficium, facere potest Episcopus, auctoritate etiam sua ordinaria. Corrad. l. c. n. 73. Perpetua est, dum etiam manentibus redditibus alteri loco vel beneficio applicatis, alia ex causa beneficium supprimitur, non resurrecturum, seu creandum de novo. Suppressio perpetua subdistinguitur ab iisdem Lott. & Corrad. l. c. in extinctivam tituli,

tuli, & in non extintivam tituli. Extintiva tituli contingit, dum v. g. extinguitur Parochialis ad effectum erigendi eam in Collegiatam; tollitur enim tunc de rerum natura titulus ipse collativus, denominatio, essentia, & natura Ecclesie Parochialis collativa. Non extintiva tituli contingit, dum beneficium ita unitur alteri, ut soluta iterum ea unione intelligatur solummodo remotum impedimentum prius injectum (intellige ab ista unione, quod minus de per se confertur, aut ad illud presentari quis possit) non verò beneficium deduci de non esse ad esse, seu de novo creari; quia tunc in illo titulo conservatur materia & forma ipsius essentiae beneficii, licet impediatur collatio. Lott. l. c. n. 85. & 86. & ex eo Corrad. l. c. n. 74. secus ac contingit in dissolutione unionis accessoriae subjectivae. Verum, ut patet ex descriptione suppressionis à nobis data, hac non extintiva tituli suppressio minus proprie dici potest.

Quaestio 967. Ex qua causa fieri posse suppressio beneficiorum?

Respondeo primo in genere: Cum suppressio evidenter tendat in diminutionem divini cultus, atque adeo difficilius permittatur juxta c. cum accessissent de Constitut. requirit causam praesens necessariam. Lott. l. c. n. 28. n. 79. Inter venire debere aut necessitatem, aut evidentem Ecclesiae utilitatem; & horum unum sufficere, ut dum Parochialis supprimitur, ut erigatur in Collegiatam ob augmentum cultus divini, ait Corrad. l. 2. c. 15. n. 13. & 14. Unde etiam patet, diminutionem reddituum non esse unicam & solam causam, ut ait Castrop. loc. cit. suppressiois; eum etiam remanentibus fructibus imminutis dentur & alia suppressiois, etiam ab Episcopo faciendae, causae vergentes in augmentum magnum cultus divini, & Ecclesiarum utilitatem, ut patebit ex mox dicendis. Corrad. loc. cit. n. 11. & 12.

2. Respondeo secundo in specie: Praecipua causa supprimenti beneficia est reddituum diminutio. Corrad. loc. cit. n. 34. Lott. cit. q. 28. n. 80. Ceter. p. 12. c. 1. n. 2. cum communi juxta textum c. ult. de verbor. signif. & Gl & DD. ibidem. Hac autem diminutio, prout ipsum nomen sonat, accipienda non est simpliciter pro tenuitate reddituum, sed habito respectu quantitatis assignatae ab initio fundationis; si enim beneficiati praedecessores durante tempore contenti fuerint ea portione & quantitate, non est faciendae suppressio, seu minuendus numerus beneficiorum ex hoc prae-textu insufficientiae reddituum. Lott. cit. q. 28. n. 85. sic respondit dicens à Rota apud Seraph. decis. 1385. n. 3. ac proinde, dum pro causa suppressionis assignatur tenuitas praebendarum à Ventrigl. To. 2. annot. 8. §. 1. n. 18. & aliis passim, ea accipienda erit, quae ex post, numerum diminutis post primam fundatione redditibus, vel etiam quae mutatis temporum circumstantiis contingit, dum v. g. quae olim tempore fundationis longe leviore pretio comparabantur vitae congrue sustentandae subsidia, modo vix duplicato pretio acquirantur, & sic redditus, qui olim sufficiebant, modo omnino sint insufficientes pro congrua beneficiarii sustentatione. Sed neque simplex attendenda reddituum diminutio, sed talis, ut persona idonea non possit ex fructibus illis vivere, & onera beneficii ferre. Lott. loc. cit. n. 83. citans Felin. in c. cum accessissent, n. 29. in fine, uti nec Praebendarum quaecunque tenuitas sufficit, nisi ex una cum distributionibus adeo sint tenues, ut Canonici

inspecti loci ac personarum qualitate, inde decenter juxta gradum suum vivere nequeant. Ventrigl. loc. cit. Neque sufficere ista diminutio aut tenuitas pro causa, ubi ea forte fuerit temporaria, propter sterilitatem aliquam extraordinariam, aliòve casus fortuitos. Lott. l. c. n. 81. Porro tenuitatem hanc Canoniarum tunc esse sufficientem causam eisdem supprimenti, quando eidem non potest provideri per unionem beneficiorum aliorum simplicium, ait Ventrigl. l. c. n. 20. ubi, quod non nisi in subsidium, & in casum, quo simplicia beneficia alia Praebendis uniri non possunt, concedatur hac facultas supprimenti Canoniarum Episcopo. Idem tradit Castrop. cit. §. 9. n. 2. juxta dispositionem Trid. sess. 14. c. 15.

3. Secunda causa suppressionis, seu diminuendi numerum beneficiorum in aliqua Ecclesia est, dum in eo numero excellit contra fundatorum determinationem. Lott. l. c. n. 93. dicens, hanc causam videri agnovisse Justinian. in Authentica, ut determinatus sit numerus Clericorum, Huc spectat (quam pro tertia causa assignat Lott. n. 94.) dum numerus in nimiam esset effectus multitudinem.

4. Tertiam causam assignat Corrad. cit. c. 8. n. 15. ex Gratian. discip. for. c. 817. n. 7. nimirum decorem & honorem Ecclesiae Cathedralis; dum validam fuisse habitam, ait suppressionem duorum Canoniarum ad istum finem, ut in Ecclesia Cathedrali, ubi pauci erant Canonici, & ideo necesse erat non sine dedecore adimplere omnia minima spectantia ad Clericos, & alios in minoribus constitutos, praeter dictos Canonicos constituerentur aliqui Clerici Divinis ibi inservientes.

5. Quartam quoque causam adjicit Corrad. ex eodem Gratian. l. c. n. 10. sustentationem fabricae; quod idem tradit Azor p. 2. l. 6. c. 30. q. 15. in fine his verbis: Potest etiam ita supprimitur Episcopus, ut ejus redditus perpetuo impendantur in usum fabricae Ecclesiae ipsius. Quin & pro causa assignat ex eodem Gratian. & aliam Ecclesiae utilitatem, vel etiam alium pium usum. Quod tamen postremum non videtur tam facile admitrendum, nisi utilitas illa Ecclesiae, piusque alius usus necessitatem simul quandam importaret, sicut supra dictum de causa unionis.

6. Denique causa sufficiens supprimenti beneficium est unio, seu ut illud uniatur aliis beneficiis, piusve locis, adeoque causa quae sufficit ad faciendam unionem, sufficit etiam ad faciendam suppressionem; unio enim, ut ait Lott. l. c. n. 95. est filia suppressionis, quae fit pro minuendo numero, sicut divisionis, quae fit pro augendo numero, filia est erectio novi cujusdam tituli.

Quaestio 968. An, & qualiter causa suppressionis probanda?

Respondeo primo in genere: Debet causa facta suppressionis legitime & plene probari. Corrad. cit. c. 8. n. 33. & 54. ubi: pro sustentanda suppressione requiritur causa formiter probanda, neque creditur Episcopo illam asserenti juxta vigentem regulam ex doctrina Bartol. in l. si sorie. ff. de Castrens. pecul. & Decian. in c. quae in Ecclesiam, de Constitut. n. 130. quod in iis, quae sine causa fieri nequeunt, non creditur gerenti actum circa interventum causa. Corrad. cit. c. 8. n. 22. 23. & 24. & n. 54. ubi id ipsum limitans ait: non creditur Ordinario, nisi quando agitur de suppressione antea facta, & in visitatione enuntiata, ut Calderin. decis. 439. a n. 4. vel quando est enunciata causa in specie, & non in genere. V. de hoc dicta supra de justificanda causa unionis, quae eadem hic locum habent. Illud

tamen circa hanc causam probationem notandum cum Corrad. l. c. n. 37. & seq. ex Gratian. l. c. quod, quando hac causa notoria est, & per se patet, non eget aliâ probatione; cum habeatur pro probata, sufficitque, quod fuerit in suppressione talis causa allegata & expressa, quamvis alias dicta expressio requireretur; cum notorium habeat vim expressionis, & idem operetur, quod ipsa expressio, ut *Surdus conf. 324. n. 6. l. 3.*

2. Respondeo secundò in specie: Ad justificationem causam ex tenuitate reddituum, ea probanda est, cum beneficia de sui natura præsumantur congrua, hoc est, habere redditus pro congrua sustentatione beneficiati sufficientes. Ventrigl. l. c. n. 19. citans Barbof. de por. Ep. p. 3. alleg. 67. n. 5. & seq. Idem est de diminutione reddituum. Castrop. cit. §. 9. n. 1. ubi: si probatum non fuerit, redditus ita diminutos esse, ut non sufficiant ad beneficiatos honeste alendos, cultumque divinum rite peragendum, nequaquam poterit alius à Papa numerum beneficiorum minuire. Reditus enim cujuscunque beneficii præsumuntur sufficientes, pro hoc hucusque fuerunt. Lott. cit. q. 28. n. 28. citans Gl. in c. fin. v. sufficiebant, de presump. imò præsumuntur potius aucti, quam diminuti. Lott. n. 89. citans Angel. conf. 274. n. 4. & Rot. in Callagur. benef. 13. Feb. 1606. Cumque imputandum sit ei, qui beneficium depauperatum accepit, in hoc casu requiritur justificatio depauperationis accidentis post ipsam acceptationem. Lott. cit. n. 91. & 92. Non sufficit autem probatio generica per testes adponentes simpliciter, fructus esse diminutos, ut Lott. n. 81. dicens, sic Rotam se informante rejecisse talem probationem in Callagur. benef. 28. Nov. 1605. sed diminutio valoris specificè cum sua causa, etiamque perpetuâ, & non temporariâ, est articulanda. Et hunc in finem, ubi causa illa diminutionis testibus cognita non est, valor per decem annos continuos retractos, computato fertili cum sterili, altimandus. Lott. cit. n. 81. & 82. Atque ista diminutio non probanda simpliciter, sed etiam habito respectu, ut dictum, ad quantitatem constitutam ab initio foundationis, & ad hoc, quod persona idonea non possit decenter vivere ex fructibus sic diminutis. Lott. n. 85. juncto n. 83. Corrad. cit. c. 8. n. 35. Illud etiam hic notandum ex eodem Lott. n. 86. & 87. quod si hinc inde facta sint probationes super sufficientia & insufficientia, seu super non diminutione & diminutione, prævaleat probatio pro sufficientia, & non diminutione, non solum favore cultus divini (cum ad eum pertineat, in qualibet Ecclesia haberi quamplures beneficiatos, & tot, quot possunt ex redditibus sustentari, ut Abb. & alii in c. 1. de institut.) sed etiam ratione verisimilitudinis & præsumptionis; cum, ut dictum, redditus cujuscunque beneficii præsumantur sufficientes, & non diminuti.

Quæstio 969. An, & quas, præter legitimam causam, suppressio requirat solemnitates, dum fit potestate ordinariâ?

Respondeo primò: Ad validitatem suppressionis requiritur copulativè causa, & solemnitas. Corrad. cit. c. 8. n. 54.

2. Resp. secundò: Solemnitas hæc consistit primò in cognitione causæ sufficientis. Corrad. ibi n. 22. juxta ea, quæ dicta sunt supra in hoc puncto de unione.

3. Secundò in requisitione consensus Capituli Cathedralis; ita ut, si in suppressione Canoniciatum, alicujus etiam Ecclesiæ Collegiatae, ob tenuitatem reddituum præter illius Ecclesiæ Collegiatae

consensum non interveniat consensus Capituli Cathedralis, suppressio & unio reddituum illorum sit nulla ipso jure. Ventrigl. Tom. 2. annot. 8. §. 2. n. 45. Castrop. l. c. Corrad. l. c. n. 25. 26. juncto n. 30. ubi, quod, in alienatione consensus Capituli non requiritur, uti persona habentis interesse; sed solum, tanquam solemnitas, & n. 54. ubi, quod consensus ille Capituli Cathedralis omnino intervenire debet pro solemnitate, pro quo etiam ibi citat Monetam de communit. ult. vol. c. 12. q. 6. n. 115. & Cavaler. decis. 439. & propterea non sufficit consensus Ecclesiæ Collegiatae, cujus præbenda vel beneficia supprimuntur; dum verò supprimuntur Canoniciatus Cathedralis, dictus consensus Capituli Cathedralis requiritur, & tanquam solemnitas, & tanquam persona habentis interesse. Unde jam non subsistit illud, quod tradit Castrop. l. c. n. 2. ex Gratian. quem citat *desep. forens. c. 278. n. 30.* nempe quod possit post diminutionem (intellige numeri Canoniciatum) intervenire ille consensus; quia in ejus gratiam cavetur ex postulandum, si id intelligatur de consensu Capituli Cathedralis; secus, si de consensu Capituli illius Ecclesiæ, cujus præbenda vel beneficium supprimuntur, de quo posteriore consensu loqui videtur, & de eo loquitur Gallemart in *Remissionib. ad Trid. sess. 24. c. 15.* dum cum Gratiano dicunt, nullitatem unionis (idem est de suppressione) ob defectum consensus Capituli non posse opponi, nisi à Capitulo, cui soli hæc exceptio concedatur. Sed necesse est, hunc consensum Capituli Cathedralis, quatenus est solemnitas, adeoque pro forma requiritur, intervenisse tempore suppressionis, & non esse factis, ut superveniat, secus ac accidit in consensu præciso requisito, ut personarum interessatarum, juxta dicta supra de unione; siquidem, ut ait Corrad. n. 28. materia suppressionis in requisitis necessariis, eo præcipue in necessitate causæ fraternitatis communione. Dixi: cum suppressio sit ab Ordinario; dum enim fit à Papa, dictus consensus minime est necessarius, Corrad. n. 29. qui etiam solus potest supplere omnes defectus, qui in hujusmodi suppressione potuissent intervenire. Corrad. n. 55. citans Rot. in *reversib. benef. 4. Jul. 1610.* Tamen igitur dictus consensus Capituli, qui in hujusmodi suppressione pro illius validitate, etiam ad præscriptum Trid. est omnino adhibendus copulativè cum legitima causa, dum suppressio fit auctoritate ordinariâ, & aliâ suppressio reddatur nulla. Corrad. n. 40. Veruntamen ubi tantum temporis effluxit, quod faciat præsumere solemnitates à jure requisitas, supponitur hunc consensum intervenisse. Corrad. n. 42. citans Menoch. *presump. 75. n. 24. l. 2.* Felin. in c. Albericus. de rescriptis. n. 4. Bursat. *conf. 424. l. 4.* quia licet non præsumatur, nisi probetur, ut Felin. in c. *factus. de rescriptis. 26.* Boerius *decis. 345. n. 5.* Corrad. cit. n. 42. tamen ex temporis diuturnitate præsumitur intervenisse etiam non enunciatis in suppressione, quatenus lapsum fuerit tempus 30. annorum. Corrad. n. 43. Vide de hoc dicta supra de eodem consensu requisito ad unionem.

Quæstio 970. Quorum præterea tanquam personarum interessatarum, & ideo votandorum consensus requiritur?

Respondeo primò: Ecclesiæ illius, cujus beneficium supprimuntur, ut constat ex jam dictis, uti & ex declaratione S. Congregationis, ad Trid. sess. 24. c. 15. apud Gallemart, declarante, per consensum Capituli, quem requirit ibi Tridentinum ad suppressionem, intelligi consensum Capituli illius Ecclesiæ, in qua fit reductio præbendarum.

2. Secundò Patronorum laicorum, dum beneficia supprimenda sunt juri patronatus laicalis. *Castrop. l. cit. n. 3.* Corrad. *l. cit. n. 81.* quin & Ecclesiasticorum, dum juspatronatus est Ecclesiasticum, ita ut suppressio aliàs sit nulla. *Corrad. n. 82.*

3. Tertiò Collatorum etiam inferiorum, qui sunt in possessione juris conferendi, maxime competente illis jure speciali. *Corrad. n. 82. & 83.*

4. Quartò etiam Electorum, dum beneficium est electivum. *Corrad. n. 82.* Et hæc omnia juxta dicta in hoc puncto de unione, dismembratione, divisione beneficiorum.

Quæstio 97. An, & qualiter præter causam solennitatem, & consensum interessatorum constare debeat de statu collativo beneficium, ut suppressio suscipiatur?

R. Respondeo: Præsupponit suppressio beneficium existens in statu collativo, seu legitime erectum. Et ante omnia de hoc statu debet constare, & dicti status collativi existentia probari. *Corrad. l. cit. n. 45. j. n. 47.* Probatum autem per hoc status collationis & ejus erectio, quod per vires aliquas fuerit collatum, et si non constet, à quo fuerit erectum; quia sufficit, quod sit in rerum natura, & in statu collativo per aliquas collationes effectum suum sortitas. Sed & quando Ordinarius esset in quasi possessione conferendi, vel ad alterius presentationem instituendi, ratione hujus quasi possessionis præsumitur beneficium Ecclesiasticum cum debita solennitate erectum. *Corrad. n. 49.* citans *Gonz. gl. 5. n. 11.* Ex collationibus enim, sive apostolicæ sive ordinariæ auctoritate factis, factis probatum dicitur, quod beneficium erectum fuerit à principio, & esset perpetuum, & in statu collativo. *Corrad. n. 50.* quinimo satis esset unica collatio, ut probetur ultimus status beneficium, modo non probetur status antecessens contrarius ultimo statui. Et sic, si probetur collatio talis beneficium facta ab Ordinario, præsumi debet in dubio etiam approbata illius fundatio tanquam necessariam antecessens. *Corrad. à n. 51.* sed de his alibi scribitur.

Quæstio 97. Quid possit Episcopus circa suppressiones beneficiorum?

R. Respondeo primò: Potesse Episcopus beneficia aliquot simplicia, vel etiam aliquot præbendas & Canonicatus suppressere, ut ea uniendo reliquis præbendis Cathedralibus, vel Collegiatis insignis subveniat eorum tenuitati, juxta modum & formam illi præscriptam à Tridentino. *sess. 24. c. 15.* ubi ea illi potestas conceditur hæc formalibus: in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis in quibus, ubi frequentes, adeoque tenues sunt præbende simul cum distributionibus quotidianis, ut sustinendo decenti Canonicorum gradus pro loci, & personarum qualitate non sufficiant. liceat Episcopo cum consensu Capituli vel aliquot simplicia beneficia, non tamen Regularia, nisi unire, vel si hac ratione providere non possit, aliquibus ex his suppressis cum patronorum consensu, si de jure patronatus laicorum sunt, quorum fructus reliquarum præbendarum distributionibus quotidianis applicentur, eos ad pauciores numerum reducere. Ita tamen, ut tot super sint, qui divino cultui celebrando ac dignitati Ecclesie commode valeant respondere. Non obstantibus quibuscunque Constitutionibus, Privilegiis, aut quacunque reservatione generali vel speciali, aut affectione. Neque prædicta

uniones, aut suppressiones tolli aut impediri possint ex quibuscunque provisionibus, etiam vigore reservationis, aut quibusvis aliis derogationibus vel suspensionibus, &c. Circa quæ observanda sunt sequentia.

2. Primò: Vi hujus decreti non nisi in Cathedralibus, & Collegiatis posse Episcopum facere hanc suppressionem. *Corrad. l. cit. c. 8. n. 56. & 76.* ubi, quod hæc facultas supprimendi concessa sit per Tridentin. in Cathedralibus Ecclesiis, aut Collegiatis insignibus; in aliis vero Ecclesiis nulla tributa facultas extinguendi præbendas, ut auquantur distributionibus quotidianæ ad augmentum cultus divini. Pro quo citat *Monet. de distribut. q. 1. c. 5. n. 28.*

3. Secundò: Vi hujus decreti licere id Episcopis, non verò impositam illis necessitatem seu obligationem id faciendi. Unde etiam Metropolitanus non potest supplere, ubi Episcopus id non facit. Ita habet Declaratio S. Congregat. ad hunc locum, apud Gallemar.

4. Tertiò: Non licere vi hujus decreti Episcopis suppressere, ut suppressa uniat Capellaniis, etiam Cathedralibus, hærentibus tenues redditus; cum hoc decretum loquatur de solis præbendis, & distributionibus juxta declarat. S. Congreg. apud Gallem. *loc. cit.*

5. Quartò, quod locum habeat hoc decretum, quando nullæ sunt distributiones, & præbendæ tenues; & è contraria etiam, ut ista suppressio, & unio fieri possit pro distributionibus quotidianis, ubi hæ nullæ erant, modò præbendæ sint tenues, sic censuit S. Congregat. apud eundem Gallem. *loc. cit.*

6. Quintò, quod fieri nequeat suppressio & unio Archidiaconatus, dum hæc dignitas non habet vocem in Capitulo, nec redditus participat de mensa Capitulari, sed solum stallum in choro, prout S. Congregat. apud Eundem *l. cit.*

7. Sextò, quod vi hujus decreti suppressere nequeat Dignitates, cum Concilium loquatur de simplicibus & præbendis tantum. Eadem Congregatio apud Eundem; quamvis contrarium teneat *Garc. p. 12. c. 2. n. 3. & 4.* *Corrad. l. cit. n. 90.* nempe quod Episcopus possit etiam suppressere dignitatem & officium, ejus fructus applicando & distribuendo inter singulos Canonicos. Idque, etiam si dignitas illa erecta esset auctoritate Apostolica, ad sitque decretum irritans, dum ex post diminutio illa redditum accessisset. *Garc. l. cit.*

8. Septimò, quod, ut dictum, per consensum Capituli intelligatur consensus Capituli illius Ecclesie, in qua fit suppressio.

9. Octavò, quod non possit Episcopus procedere ad extinctionem præbendarum, priusquam tentata fuerit alia via subveniendi tenuitati præbendarum, aut distributionum, nempe per unionem aliquot simplicium, & constet, id fieri non potuisse. *Castrop. l. cit. n. 3.* *Ventrigl. l. cit. §. 1. n. 20.* juxta dicta à nobis paulò ante ex iisdem.

10. Nonò, quod, ut præbendæ aliquæ supprimi possint pro augendis distributionibus quotidianis, oporteat fructus præbendarum talis Ecclesie esse ita tenues, ut ex illis nequaquam tertia pars pro quotidianis distributionibus deduci possit; aliàs enim, si ita tenues non sint, sed dictam deductionem pariantur, ea faciendæ, pro ut mandat *Trident. sess. 21. c. 3.* omiis suppressio aliquot præbendarum. *Castrop. loc. cit.*

11. Decimò, quod, sicut, ut validæ sint uniones factæ etiam seminaris de reservatis Papa, necesse est, eas factas antequam vacent ea beneficia, idem similiter

militer dicendum sit de suppressionibus factis ex causa tenuitatis præbendarum. S. Congregat. apud Galliam. uti idem tradit Corrad. *cit. c. 8. n. 95.* ubi, quoddam licet Episcopus ex dicta causa huiusmodi suppressiones facere possit, id tamen intelligendum, modò tales suppressiones faciat de beneficiis non vacantibus in mensibus reservatis Papæ; quia etiam si supprimat beneficia, ut subveniat tenuitati Canonice; non tamen id ei permittitur in præiudicium Sedis Apostolicæ, prout declaravit S. Congregat. 19. Nov. 1619, teste Barbof. in *Collectan. v. Canonice. fol. 97.*

12. Undecimò, quoddam Concilium non concedat Episcopo facultatem supprimendi beneficia seu præbendas, ut uniantur, seu eorum fructus applicentur mensæ Capituli, multòque minus mensæ suæ, sed singulis præbendis tenuibus singulorum Capitularium. Castrop. *loc. cit.* citans Gonz. *gl. 37. n. 25.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 30. q. 15.* Barbof. *de pot. Ep. alleg. 67. n. 9. & 10.* uti etiam alias nunquam potest Episcopus supprimere beneficia, cedente suppressione in favorem sui; cum in re seu factò proprio, & sibi utiliauctoritatem præstare nequeat. Corrad. *cit. n. 54.* in fine. Castrop. *l. c.* juxta Clem. *si una. de reb. Eccl. non alien.* vide dicta hoc in puncto de unione.

13. Duodecimò, quoddam etiam, dum numerus præbendarum in aliqua Ecclesia à Sede Apostolica approbatus confirmatusque fuit, adhuc possit Episcopus ex dicta causa facere suppressionem præbendarum, & sic minuere huiusce numerum cum consensu Capituli, dum post huiusmodi confirmationem Apostolicam fructus præbendarum notabiliter diminuti sunt, non secus ac illum numerum augere potest, dum post dictam confirmationem fructus notabiliter excreverunt, eò quod confirmatio illa intelligatur rebus in eodem statu permanentibus, in quo casu utriusque id non poterit Episcopus. Corrad. *loc. cit. n. 69.* Garc. *p. 12. c. 1. n. 4.* Castrop. *loc. cit. n. 5.* Azor. *loc. cit. q. 13.* citantes Abb. in *c. cum accessissent. n. 4.* Felin. *ibidem. n. 17.* Proceditque id ipsum, etiam si confirmatio illa Apostolica continuisset decretum irritans, non secus ac eo decreto non obstante excreverunt fructibus, numerus ille confirmatus à Papa augeri potest. AA. iidem. E. contra verò fructibus præbendarum post dictam confirmationem non diminutis, numerus earum, seu Canonice & ministrorum in Ecclesia statutus minui non potest suppressione; quia Ordinarius, etiam cum consensu Capituli nequit derogare confirmationi Apostolicæ. AA. iidem. Idque etiam, si non adesset decretum irritans. Garc. *loc. cit. n. 8.* Corrad. *cit. n. 69.* Quin etiam, ut Castrop. fructibus etiam non excreverunt post dictam confirmationem, augeri possit ille numerus, ubi non adesset in dicta confirmatione decretum irritans; eò quod confirmatio Apostolica, ne augeatur numerus, inducta est in favorem Canonice, cui ipsi cedere possunt: ètque utilius Ecclesiæ regulariter, ut numerus præbendarum augeatur, secus ac accidit in diminutione numeri.

14. Decimo tertio, quod hæc suppressio fieri debeat sine præiudicio obtinentium supprimenda, sicut dictum de unione, adeoque ea quidem fieri possit iis viventibus, sed non fortiri effectum ante cessum, vel decessum eorum.

15. Decimo quarto, quod hoc decretum locum

non habeat in suppressionibus ad tempus, sed perpetuis, ut censuit S. Congregat. apud Collemar. *l. 16.* Respondeo secundo: Potest Episcopus in vim aliorum decretorum Tridentini, de quibus supra, ubi de unionibus vel etiam de iure communi in omnibus illis casibus supprimere beneficia, in quibus ea unire potest accessorie; quippe illa unio non fit sine suppressione, & suppressionis huius, ut dictum ex Lott. est unio. Atque ita supprimere potest, ut fructus applicentur Seminario, aut etiam fabricæ Ecclesiæ, alterive loco pio. Castrop. *loc. cit. n. 3.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 30. q. ult.* vel etiam supprimere, ubi nimia multitudo beneficiorum, & beneficiorum gignit confusionem, absque eo, quòd reditus diminuti sunt, ut vidimus supra, ubi de causa suppressionis ex Lott. Sic quoque licet vi *cit. c. 15.* Trid. non possit extinguere præbendas in aliis Ecclesiis, quàm Cathedralibus, aut Collegiatis insignibus, ad augendum distributiones, poterit tamen id aliunde, exigente augmento (intellige necessario) cultus divini. Sic etiam supprimuntur ab eo beneficia, dum eius auctoritate destruitur Ecclesiæ unà cum redditibus. Garc. *loc. cit. n. 14.* Ex quibus autem causis dari possit destructio hæc Ecclesiarum, vide apud Gonz. *gl. 5. §. 7. à n. 147.* Supprimere verò non potest Episcopus Parochialem, ut ea convertatur in Collegiatam; uti nec in similibus casibus erectionum, seu ad effectum erectionis alterius, intellige, Ecclesiæ, vel dignitatis, quæ ipse creare non potest. Corrad. *loc. cit. n. 70.* Porò formulam faciendæ suppressionis in casibus *cit. c. 15. Trid.* vide apud eundem Corrad. *loc. cit. n. 77.* Illud quoque observandum ex eodem *n. 20.* quòd etsi Episcopus, etiam ex vi dicti Concilii Trid. & in casibus ibi expressis possit supprimere, quia tamen sapienter occurrit, huiusmodi suppressiones ab eo factas legitime facillimo negotio inficiari, ad Papam solere haberi recursum pro illarum maiore subsistentia. Unde, ut idem *n. 92.* in praxi servatur, ut, cum de huiusmodi suppressionum validitate quoquo modo hæsitatur, vel illa petantur à principio à Papa, vel jam ordinariâ auctoritate facta à Papa confirmantur.

Quæstio 973. An aliis Episcopo Inferioribus competat facultas supprimendi?

1. Respondeo primò: In casu, & causa supprimendi expressis à Trid. *c. 15. sess. 24.* nulli, præterquam Episcopi conceditur ea facultas. Castrop. *cit. §. 9. n. 2.* ubi, quòd in dicto Tridentini decreto comprehenditur nomine Episcopi solus Episcopus. Unde jam Abbati, etiam exempto, & habenti jurisdictionem ordinariam, ac quasi Episcopalem, non licet cum consensu sui Capituli præbendarum numerum, etiam ubi præbendæ adeo tenues sunt, in distributiones quotidianas infumendum diminuere, seu supprimere. Castrop. *loc. cit.* citans Barbof. *ad cit. loc. Trid. n. 2. & 5.* qui sic decisum dicit à S. Congregat. uti quoque eandem declarationem refert Galliam. *loc. cit.* Neque id licebit Capitulo sede vacante, juxta ejusdem Congregat. declarationem apud Galliam. *loc. cit.*

2. Respondeo secundo: Poterunt tamen Prælati illi facere in Ecclesiis aliis suppressiones eorum beneficiorum, quæ unire possunt unione accessionis, cum ea secum trahat hanc suppressionem,